IN LIBELLOS
HIPPOCRATIS
DE SEPTIMESTRI ET OCTIMESTRI PARTV.
COMMENTARII.

Quibus vniuersa partuum doctrina propriis rationibus demonstratur.

Auctore

M. CLAVDIO TARDY,

DOCTORE MEDICO PARISIENSI.



PARISIIS,

Apud CAROLVM DV MESNIL, via Iacobæa, sub signo Samaritanæ.

M. DC. LI.

Cum Approbatione & Permissione.

APPROBATIO.

NOs infra-scripti Doctores Medici Facult. Paris. fidem facimus, nos perlegisse Commentarium in Hippocratis libros de septimestri & octimestri partu, Auctore Magistro CLAVDIO TARDY, *Doctore Medico Parisiensi meritissimo collega nostro. Hoc autem opusculum propter eximiam quam continet eruditionem dignum iudicauimus quod typis mandetur, die vigesima Februarij 1651.*

Ex consensu Facultatis GVIDO PATIN, Decanus.

DE S. IAQVES.
CORNVTY.
LE BRETON

PERMISSION.

VEu les Approbations du Doyen & des Docteurs Regens de la Faculté de Medecine de l'Vniuersité de Paris, permettons faire imprimer les Commentaires sur les Liures d'Hippocrate *De Septimestri & Octimestri partu*. Faict à Paris le 15. May 1651.

DAVBRAY.



IN LIBELLOS HIPPOCRATIS DE SEPTIMESTRI ET OCTIMESTRI PARTV.

Expositio Libelli de Septimestri partu.



QVIDAM rudes in mulierum rebus, & in Hippocratis lectione parum versati, suspicati sunt hunc librum spurium esse tantoque viro minimè dignum: quia fœtus octauo mense non ægrotare putant, nec eorum membranas vnquam posse laxari, quin partus illico consequatur. Errori occasionem præbuit inscitia modi quo membranæ fœtus hærēt vteri parietibus. Quæ difficultas vt innotescat intelligendū muliebrium profusionē raro fieri per vtriusq; lateris vteri vasa simul, sed modo per dextra, modo per sinistra, quæ mox ab euacuatione cō cidunt. Ita tamen vt quandiu lateris illius vteri meatus nondum planè occlusi dehiscunt nonnihil, inæqualitatem quandam fingunt, atque adhuc leui humiditate perfunduntur; tunc illi auidius prolectent virile semen quod muliebri permixtum ipsis adeo contumaciter adhæret, vt & membranæ & fœtus inde geniti, toto grauiditatis tempore, huic parti & lateri matricis continuitatis quadam specie annectantur. Fœtus vero deinceps vmbilici beneficio trahit alimentum ab iisdem vasis perpetuo dehiscentibus quibus ip-

Sect. 3. l. 2. Epid. f. 316 v. 12 & 13. Lib. 1. de morbis mulier. f. 239. v. 29. vbi meatus illos venas vocat.

sum semen hæserat illico post receptionem. Sanguinis in eadem parte collecti concretio, quæ placenta dicitur & vmbilici vasorum distributionem continet, firmiorem reddit coalitum: siquidem contumax vnio fœtus cum vtero facilior est per placentam, propter eius humiditatem, quam per solas membranas. Perpetuus commeatus qui perficitur in placenta continuitatem firmat, in cæteris vero chorij partibus facilis est resolutio: quia nullus est in iis commeatus, & membranæ propter ariditatem vix hærent vtero.

Quare mirum non est si septimo mense quo, sensu teste, semper resoluitur & interhiat orificium quod aliis mensibus exquisite connixerat, ipsæ quoque membranæ quodammodo relaxentur. Id enim fieri necesse est vbi minus hærent vtero maximéque ad oris interioris ambitum; vmbilici vero placentæque contumax adhæsio perseuerat ad ipsum momentum partus. Ex eadem cognitione modi quo membranæ fœtus hærent vteri parietibus, elici debet ratio cur aliquæ mulieres omnibus pene grauiditatis mensibus fluoribus vterimis etiam immoderatis afficiuntur. Illæque sunt ex earum numero quarum interius orificium nunquam conniuere tactu deprehenditur. Nam sanguis à fœtu relictus & in vteri substantia collectus effluit inter chorij membranas; quod fieri solet dupliciter nempe natura duce ac paulatim, aut simul ac semel & impetu per morbum. Quamquam conueniens vtrique fluori præsidium est epaphæresis. Itaque fœtus & aliorum fere omnium maturescentium par est ratio, nam Cerealium membranæ laxantur incipiente maturitate, granaque soli pediculo nituntur ex quo succum alibilem proliciunt, velut ex vmbilico fœtus. Ita nuces aliquandiu hærent arbori trahentes alimentum quâ pediculo nituntur, quamquam cortex vndique dehiscat. Idem pene in omnibus arborum plantarumque seminibus & fructibus obseruare licet. Quare fateri necesse est septimo grauiditatis mense laxari fœtus membranas, indeque fœtus omnes immutandi situs opportunitatem habere. Hic autem motus quo pueri situs immutatur, est causa octimestris ægritudinis, quam fœtus omnes inuadere demonstrauit Hippocrates rationum momentis quæ sequentium lectione firmissimæ videbuntur. Addere licet omnium facultatum languorem quo fœtus ægritudo post inuersionem deprehenditur; tunc enim prostratis facultatibus multo rarius & imbecillius mouetur; aut vrgente morbo, si valent vires, vehementius agitatur. Sic alimenti consuetam copiam non absumit; vnde ex illius exuperantia lac vberrimum mammis ingeneratur, & plerumque magnâ copiâ diffluit, quod simul in fœtu morboso nutricatus infelicioris, & excitatæ phlogoseos in locis muliebribus ex inuersione

Lib. 1. de mul. morb. f. 239 v. 36. & seq.

fœtus est argumentum. Non enim credendum fœtus qui generantur omnes erecto capite, inuerti simul & erumpere; id enim proprio periculo familiare solis septimestribus, vt deinceps demonstrabitur.

Aristoteles rationibus & propriâ fretus experientiâ docuit vitales omnes fœtus ante octauum mensem deturbari in abdomen inferius, indeque os interius vteri dehiscere. Hæc autem mulieribus ita consueta esse docet, vt si minimè contingant, hinc agnosci concludat prolem non esse vitalem, quippe quæ propter imbecillitatem non potest inuertere corpus, & affectare viam qua nascatur. Quamquam vero multæ mulieres deterius non transigant octauum mensem quam cæteros, non ideo sequitur fœtum nullomodo ægrotare; id enim fit quia soli vehementes fœtuum morbi transeunt ad matrē. Ac plurimæ, octauo mense potius quam in aliis, signa quædam promunt ægrotantis fœturæ. Huiusmodi signa sunt abdominis frigus & sudor; eiusdem durities aut in partem decliuiorem prolapsus, oculi concaui, tumida corporis habitudo maximéque vultus & pedum, aurium candor & extremi nasi, labiorumque liuiditas; abdominis, renum crurumque dolor, & omnes penè functiones imminutæ. Quæ omnia cum verissima sint, & ex genuino Hippocratis sensu deprompta concludendum cum Galeno summisque viris omnibus, libellos elegantissimos de Septimestri & Octimestri partu genuinos esse fœtus Hippocratis.

Cap. 4. l. 7. de hist. anim.

Lib de sup. perfœt. f. 49. v. 7. & seq. tum v. 24. & seq.

Cæterum quamquam libellus hic vniuersam de tempore partuum doctrinam, & omnes eorum opportunitates contineat, nihilominus tamen hic inscribitur ab Hippocrate peculiari titulo de Septimestri partu. Quia partus iste primus & maximè spectabilis summas inuoluit difficultates ex quarum comprehensione aliorum omnium natura & conditiones innotescunt. Omnium verò princeps & maxima est, vbi Septimestrium puellorum vigor momentaneus in Octimestrium languorem quadraginta dierum commutatus exponitur. Hinc enim concludit Octimestres fœtus esse pessimæ conditionis & minimè vitales; decimestres autem septimestribus, atque etiam nouimestribus ipsis antecellere. Quapropter Hippocrates istas propositiones probat depromptis ex duplici fonte rationibus, vnde duæ libelli partes, quarum prior nititur rationibus petitis ex ipsis fœtibus, & eorum causis immediatis. Altera vero constat rationum ponderibus quæsitis ex causis vniuersalibus generationis & criticæ proportionis.

Hippocrates itaque tractationis initium facit à puellis vitalibus imperfectissimis, qui septem pleniluniorum facultatibus præcisè constant, vnde vocantur septimestres; quia sola plenilunia & menses lunares synodici spectari debent in hujusmodi septimestrium

generatione. Quare puelli, qui constant centum & octoginta duobus diebus cum dimidio & diei particula; vita frui possunt atque superesse; dummodo ille dierum numerus septem plenilunia comprehendat, vt reuera potest si receptio seminis fiat initio plenilunij. Nam quindecim dies, demptis sex horis, continent primum illud plenilunium, deinde centum quadraginta septem dies ac horæ duodecim continent quinque synodicos menses intermedios (quia singuli constant viginti nouem diebus cum dimidio, gemini vero constant vndesexaginta diebus) quibus computatis supersunt viginti dies & horæ sex, quæ comprehendunt vltimum plenilunium. Idem quoque dierum numerus semiannum continet, & attingit tertiæ tempestatis initium.

His præmissis auctor in hac prima libelli parte planè totus est, vt exponat historiam, causas atque symptomata ægritudinis illius quam probat octauo mense grauiditatis vexare puellos omnes, & quam demonstrat esse causam cur planè perfecti esse non possint ante septimum quadragenarium. Fœtus itaque, qui constant centum octoginta duobus diebus & horis octodecim, possunt esse septimestres atque superesse, quia pollent facultatibus septem pleniluniorum & semianni cum diei particula, id est tertiæ tempestatis ineuntis. Nam septem plenilunia, similitudine qua pollent cum vitæ primordiis, fœtus constituunt; tertia vero tempestas eosdem firmat contrarietate. Quapropter fœtus in hac opportunitate perfectiua, vel minimo tempore, tantum roboris augmentum adipiscuntur, vt perfecta maturitate sint vitales. Vnde illorum inuolucra resoluuntur, quemadmodum spicarum maturarum membranæ, quæ alioquin coguntur amplificari grani adhuc viridis & nondum maturescentis incremento.

Tunc igitur istorum septimestrium quidam valentissimi & robustissimi præcipitato & coacto partu, ideoque quodammodo non naturali prodeunt in lucem. Atque hinc istorum plerosque occumbere docet Hippocrates, quia pusilli nondum confirmatis viribus subeunt maiorem mutationem quam alij. Propterea quod simul inuertuntur & erumpunt; geminasque difficultates illas & pericula superanda suscipiunt, quibus alij diuersis temporibus & partitis vicibus ex instituto naturæ familiari, tutius expediuntur. Et editi laborare coguntur ægritudine funesta quadraginta dierum quæ plerumque producitur ad mensem decimum, quo perfectissimi prodire debuerant, ipsos interemptura. Bis mihi videre contigit editos fœtus ante legitimum tempus multis diebus interiectis repentè extinctos in ea temporis opportunitate in qua mater se parituram ar-

bitrata fuerat, & quod mirum subsistentem puerperiorum vacuationem simul erupisse. Quasi fuissent impares sustinendo cœlestium causarum impulsui, quo perficiendi fuerant. Hoc idem à mulieribus accepi nempe præmaturos illos fœtus aliquando repentina & inopinata ereptos nece.

Nonnullos tamen ex illis septimestribus euadere docet Hippocrates propter duplicem causam, quarum prima est quia sufficiens temporum decursus constitit, & viguerunt cœlestes circuitus qui perfectiuas qualitates puellis in vtero degentibus inurunt. Vnde fœtus isti pollent ea proportione primarum qualitatum cuius participes sunt fœtus perfectissimi siue decimestres, qui nascuntur quarta tempestate, annoque affecto. *Annus enim particeps est omnium calidorum, frigidorum, humidorum & siccorum*, quæ iustissima proportione coire debent, vt hominem perfectissimum constituant. Nam si geminæ contrarietatis vna qualitas deficeret, puta frigus, oppositi caloris vires mox intenderentur ad summum, sicque mixtum dissolueretur defectu qualitatis vnius & alterius excessu. Nec mora consequeretur alterius contrarietatis necessaria dissolutio, quia calor admodum vehemens humorem populatur, & accersit intensam siccitatem. Lib. de Nat. hum.

Iam vero septimestres fœtus pollent gemina qualitate tempestatis illius qua vigente semen excipitur, & duabus oppositis ope tempestatis illius qua projiciuntur in lucem. Quia tempestas qua semen admittitur est asymbola tempestati qua nascuntur, vt æstas hyemi. Similiter ignis & aqua dicuntur ab auctore nostro totius naturæ primordia, quia quatuor primas qualitates continent. Sic annus aliquando diuiditur in duas tantum tempestates æstatem scilicet & hyemem. Quare septimestres fœtus sunt participes omnium qualitatum quibus decimestres pollent, ideoque perfecti sunt & vitales, nondum tamen perfectissimi. Homo quippe non constat solis qualitatibus, sed earum subiectis quatuor humoribus, qui singuli vigent singulis tempestatibus non gemini, vt qualitates; ipsiq; cunctis animalibus congeniti æquissima proportione coire debent, vt homo perfectissimus enascatur, & à dissolutionis occasione remotissimus. Fœtus exquisitam hanc quatuor humorum contemperationem assequi nequaquam potest ante mensem decimum successiuo singulorum dominio, ideoque septimestris fœtus perfectissimus esse non potest.

Altera causa cur septimestres superesse possint est quia prodeunt sani præuertentes octimestrem morbum, siquidem fieri nequit, vt euadãt incolumes, si graui morbo correptis altera vehemens afflictio

superueniat, qualis ea quæ contingit ex partu consueta fœtus octauo mense natos enecare: quippe quæ sola per se sufficienti malignitate pollet ad interimendos multos etiam decimestres.

Octauo vero mense fœtum per quadraginta dies magis aut minus ægrotare pluribus conuincit. Primo quidem quia fœtus omnes elato capite generantur & in eodem situ perseuerant à conceptione ad septimum vsque mensem. Quare quicumque fœtus erupturi sunt in caput, qui solus est naturalis partus, illi septimo mense demittunt caput, qua parte membranæ resolutæ cedunt & ibi sumunt alimentum spiritumque ducunt. At nulla est maior ægrotandi causa quam vehemens & repentina mutatio, qualis inuadit fœtum dum fundamenta domus illius, similia nunquam experti, concussa diuelluntur; & ipse loco deturbatur. Ideoque propter insuetam mutationem situs in inuolucris, à quarum venis & arteriis alebatur, in statum præter naturam commutatur.

Verum præter afflictiones proprias sunt quædam communes, quæ per vmbilici continuitatem propagantur & transeunt à matre ad fœtum viceque versa. Primo quidem quia dum membranæ vehementer intenduntur, vt aliquando contingit, & ipsemet vmbilicus circa puelli ceruicem, caput aut humerum aliamve partem reuoluitur, tum nutritiæ puelli partes quodammodo diuelluntur & inflammantur. Eademque vmbilici circa fœtus aliquod membrum reuoluti continuitas placentam penè diuellit ab vteri parietibus, propter oppositorum umbilici extremorum tensionem, ideoque dolores inducit matri. Secundo quia fœtus è sede solita deturbatus, in qua fulciebatur vndique, pręter morem innititur alteri matris parti, cui propterea molestior & grauior est. Interim, dum hæc symptomata contingunt, tunc inflammationes & earum consectariæ febres excitantur in plerisque mulieribus, vnde præceps aliquando fætui fætæque pernicies. Illæ autem omnes his erumnis breui feliciter defunguntur, aut cito intereunt.

Altera probatio petitur à relatione mulierum, summamque difficultatem continet cuius expositio quærenda ex sequenti appendice. Ad calcem vero narrationis illius docet à resolutione membranarum (quam puelli deturbatio è veteri sede consequitur) mox inuadere dolores octimestris ægritudinis siue sexti quadragenarij, quamquam resolutio membranarum contingere possit septimi mensis initio. Quare septimestrium vigor ille fere momentaneus est, illico commutandus in ægritudinem quæ sexto quadragenario fœtus omnes exercet. Vbi vero tempus illud præteriit, inflammationes in embryorum partibus nutritiis & in locis muliebribus excitatæ, propter

pter vmbilici tensionem remittuntur: si fœtæ fœtusque commodo cessurus est partus, fœtusque probe conualescat. Quare matris aluus antea dolens & dura emollitur, ipseque tumor grauiditatis ab hypochondriis & renibus ad ilia deuolutus subsidit. Itavt mater accedente partu facilius progrediatur, & fœtus in hypogastrica regione toto fere septimo quadragenario existat. Quia sedes illa mollior est, ab ossium duritie remotior, & aptior ad crebras loci commutationes; ideoque fœtus in ea probe collocatus est ad facilitatem partus. Quin imo postremis septimi quadragenarij diebus ipsæ mulieres facilius aluum gerunt; idque perseuerat quousque fœtus exitum sibi conciliaturus perfecte inuertatur. Tunc enim vteri orificio incumbens summo vertice, ac pedibus innixus illius fundo, vehementi calcitratu sibi viam parat. Maxime dum lacessitus vterus excretiua facultate conspirat ad grandioris & tumultuosi fœtus eliminationem.

Tertia ratio quâ probatur octimestres fœtus ægrotare, petitur ab historia grauiditatis mulierum quæ cùm pepererunt olim fœtus aliquot integros, tum mutilum promunt in lucem, & quidem iam ante partum mutilatum. Ipsæ quippe renunciant, se octauum mensem grauiditatis deterius transegisse, quam dum fœtus integros gestarent. Quia mutili adeo grauiter ægrotant octauo mense, vt eorum morbi sine abscessu solui non possint. Hic autem Hippocrates occurrens obiectioni, qua dici posset apostasim mutilationis illius causam, in aliis etiam mensibus fieri potuisse. Respondet puellos in aliis mensibus ex graui affectu potius interimi quam pati abscessum. Quia scilicet abscessus est crisis species, quæ fieri non potest absque virium robore, quo fœtus ante septimum mensem deficiuntur. Verum vt tota res intelligatur auspicanda difficultas à principiis.

Tria sunt omnino quæ crisim numeris omnibus absoluunt. Horum primum est expellentis naturæ robur; secundum est eliminandæ materiæ probitas; tertium denique vasorum quibus humor edomitus excluditur amplitudo. Iuuenes horum omnium conspiratione, crisibus omnis generis, intus, exterius & qua decet facile liberantur: id est in acutis morbis per excretionem & in diuturnioribus per abscessus. Senes omnium repugnantiâ nulla crisi perfecta vindicari possunt, ne quidem per abscessum, licet eorum febres in diuturnitatem cadant. Quia senum morbi sanabiles per alios affectus leuiores, vt per quartanam, diarrhœam & consimiles sensim desinunt. Fœtus ante septimum grauiditatis mensem, quia sunt imperfecti, sunt impares cuiusvis crisis molitioni, propter angustiam vasorum & imbecillitatem caloris natiui: sed occumbunt à grauioribus morbis & à leuioribus coctione tandem euadunt. Puelli prouectiores & perfecti, quia præpollent vbertate caloris

Lib. de hum. fol. 100. v. 29.

Coaca 149 lib. 1. Dur.

primigenij succos etiam contumacissimos excoquentis, moliuntur crises quarum beneficio grauissimos morbos aliquando effugiunt.

Nihilominus tamen ipsi propter angustiam meatuum reluctantem non solent experiri crises per excretionem, sed tantum per abscessus. Huius conditionis sunt tumores in articulis qui fieri non possunt nisi post humoris morbifici coctionem, ideoque post ægritudinem quadraginta dierum vel plurium. Siquidem morbi acuti, qui soli iudicantur excretione, prodeunt a bile cuius in fœtibus nulla est generatio. Proindeque fœtuum morbi sanabiles nunquam iudicantur excretione, quia pusilli biliosis & acutis affectibus nunquam laborant. Insuper ipsos à matre bilem excipere dici non potest, siquidem nullos humores alliciunt, nisi suæ temperiei similes, ideoque dulces & pituitosos, quia toti pituitosi sunt & benignis humoribus perfusi.

Lib. de diebus iudicat.

Præterea humores in fœtibus nunquam superfluunt vt orgasmum committant, quia sapientissimæ naturæ moderatione trahuntur eâ copiâ quæ nunquam multum deficit aut excedit. Quamquam si redundarent, puellorum partes ineptæ sunt excipiendis humorum decubitibus propter angustiam vasorum. Sic affici non possunt morbis pulmoni familiaribus, quia carent illius raritate, siccitate & motu vehementi, quæ sunt causæ tractionis. Cœterum mares frequentius oriuntur mutili quam fœmellæ, quia sunt alacriores & septimo mense vehementius agitantur, ideoque magis ægrotant. Tunc enim propter robur abscessum moliri possunt auctorem mutilationis & alacritatis indicem, vnde vulgi opinio peruicacitatis in mutilis ex ortu.

Lib. de locis in hom. f. 68 v. 2.

Arist. c. 6. l. 4. de gener. animal.

Postquam Hippocrates probauit ineuitabilem ægritudinis octimestrium fœtuum necessitatem, concludit eosdem si tum prodeant in lucem nullomodo superesse posse. Quia grauiter in vtero laborantibus afflictiones grauissimæ superueniunt in partu & à partu, quas libello sequenti enumerat. Tum concludit de fœtibus qui nascuntur initio noni mensis, & asserit illos octimestri functos ægritudine non minus superesse posse quam septimestres. Ipsorum tamen paucos ali docet, ac primo quidem quia fœtus isti sunt admodum debiles & macilenti, multóque minus corpulenti quam decimestres, quos vocat perfectissimos. Secundo quia macilentia debilitatis index oritur ex octimestri morbo à quo recenter iactati solùm conualescunt, ideoque perfectè sani non sunt. Tum denique concludit de fœtibus qui nascuntur nono mense exacto quos contendit esse robustiores tribus aliis enumeratis fœtibus, quia multum distant à morbis octimestrium iamque conualuisse potuerunt. Et quia nouimestres isti proxime accedunt ad septem quadragenariorum fœtus, quos vulgo decimestres vocant, qui omnium maximè sunt vitales, & ad alendum apti, quia robustissimi sunt. Decime-

stres quippe fœtus, inquit, ex obseruatione fidelissima, constituti sunt in extremo gestationis humanæ circuitu, ideoque magis distant ab octimestri quadraginta dierum ægritudine, quam fœtus omnes alij. Et ea propter etiam perfectius conualuerunt quam ipsi nouimestres exacti, ac omnium perfectissimi sunt.

Hippocrates tandem variis temporibus editos fœtus inter se confert penes crassitiem, indéque deducit vltimam octimestris ægritudinis probationem. Gracilitas enim fœtuum qui nascuntur initio noni mensis, octimestris ægritudinis elapsæ & nondum instauratæ valetudinis argumentum est, nec non imbecillitatis & imperfectionis aliorum fœtuum ipsorumque nouimestrium. Tantum enim abest vt polleant eo virium robore & laudabili corporis habitu, qui familiaris est decimestribus; quin etiam carent musculorum crassitie qua septimestres præditi sunt: id autem fit ex eo quod isti septem menses transegerunt expertes ægritudinis vt loci commutationis in vtero. Cœterum septimestres, etsi corpulenti, longè deteriori sunt loco; quia macilescunt ægrotantes illico post ortum, nouimestres è contra corpulenti euadunt, quia conualescunt. Denique si nouimestres fœtus penes magnitudinem conferantur cum septimestribus, illi maiores nascuntur, quia quamquam molles & carnosæ partes contabescant à febre liquefactæ, quia naturâ calidæ sunt: nihilominus tamen solidæ partes omnes, quia crassiores & frigidiores, augmento caloris emollitæ ductiles extenduntur, at penes earum magnitudinem spectatur incrementum. Hæc est prima libelli pars in qua Hippocrates concludit decimestres fœtus esse perfectissimos & maximè vitales, idque probat rationibus erutis ex immediatis causis & ipsis fœtibus eorumque nascendi modo.

Sequitur altera pars in qua concludit eosdem fœtus esse perfectissimos, petitis rationibus à causis vniuersalibus generationis & criticæ proportionis. Id autem probat quia circuitus ijdem eædemque causæ, simul & semel omnium criseon, vt omnium generationum sunt opifices. Nam deprehendimus embryorum conceptiones in mulieribus, eorumdem corruptiones & abortus, aut partus maturos & laudabiles iisdem corporum cœlestium impulsibus perfici, iisdemque temporum circuitibus circumscribi quibus hominum morbi finiendi iudicantur adepta sanitate vel interitu. Verum antequam Hippocrates educat propositam conclusionem, præmittit diuisionem circuituum quibus hæc omnia fiunt à sole, quia sol omnium criseon vt omnium generationum potentissimus & vnus est opifex.

Hæc particula diligenter exponitur vbi probauimus animam diebus criticis infundi.

Hæc autem eadem est cum ea quam nos edocuit, l. de natura hum. nisi quod in illo libro trimembrem diuisionem profert, ibi enim criticos circuitus distribuit in dies, tempestates & annos: in hoc vero libel-

lo quadrimembrem diuisionem adducit, quadragenariorum circuitum præter assignatos enumerans; verum mox eosdem quadragenarios ad dierum circuitum reuocandos indicat. Ac præterea menses loco tempestatum colloeat, quia l. de natura hum. de morborum solutione agitur, tempestates autem aptissimæ sunt eliminandis morbis & inferendæ vi, summa qua pollent efficiendi facultate & contrarietate. In hoc vero libello menses enumerat, quia menses in grauiditate & partu sunt spectabiliores, quam aliæ tempestatum partes. Nam plenilunia similitudine qualitatum vitæ familiarium, calidi scilicet & humidi, embryorum sanitatem fouent & incrementa promouent vbertate alimenti quam venis ingenerant. Hæc auctor ipse docet dum nobis aperit res omnes ab illis corporum cœlestium circuitibus generari & corrumpi, ad perfectionem promoueri aut ab ea deturbari amicarum qualitatum, vel hostilium beneficio. Quia similes & amicæ qualitates alimentis & elementis quibus constamus, quibus viuimus & in quibus assiduo degimus inustæ sanitatem constituunt & incrementa promouent; contrariæ vero morbos & mortes infligunt.

Licet enim conuersio cœli sit vniformis & vbique sibi similis, quia prodit ab opifice uirtutis inexhaustæ, nec vnquam magis aut minus à fine distat. Quin ipsa semper est in fine, qui situs est in assidua res omnes sublunares transmutandi functione; & à nulla perfectione proprium subiectum dimouet, ne quidem loco. Nihilominus tamen ea, ratione solis accessus & recessus, statis circuitibus inducit rebus sublunaribus mutationes in contrarias dispositiones. Illæ vero sitæ sunt in hostilibus aut amicis qualitatibus quarũ vices creberrimæ sunt, & à minimis etiam circuitibus inuruntur. Id autem fit, quatenus inferiora quæuis, & animalium corpora parata sunt in peius ruere, vel admittere qualitates quæ sanitatem perficiunt. Res enim elementares à contrariis in sola contraria moueri aptæ sunt, quia nimium distant à summo opifice: ideoque non possunt fieri participes exquisitæ cœlestium regularitatis, & annectere principium motus vnius alterius fini.

Arist. c. 1. lib. 1. Meteor.

L. 8. Phys. textu 73. & l. 2. de ortu textu 49.

Præceptor itaque, posita quadrimembri circuituum criticorum diuisione in dies, menses, quadragenarios & annos, mox incipit expendere sigillatim singulorum vires, & primo quidem dierum. Atque docet primos & septimos dies tum ad morborum iudicationes, cum ad embryorum generationes esse potentissimos. Id autem probat quia septima dies seminum corruptionis & effluuij terminus est, ea enim est circuitus extremus conceptionis & infusionis animæ, qua præsente non est amplius semen, sed embryon, cuius corruptio dicitur abortus, non ante. Prima quoque grauiditatis dies videtur septimam dignitate superare. Nam prima dies est qua parentum semen excipitur, vnde moriendi

viuendique necessitas, & exordium numerandæ grauiditatis; at in grauiditate vt in morbis, magis quam in vlla alia re, finis ab origine pendet. Hic aduertendum Hippocratem non tantum maximam vim primo septimoque diei tribuere, sed etiam docere circuitum mensis multo minus esse spectabilem, quam primum & septimum diem. Nam dicit alios omnes circuitus, qui primo quadragenario continentur, esse minus spectabiles quam primum aut septimum diem, quamquam multi ex illis circuitibus morbos & abortus potenter iudicant; at mensis, quia continetur primo quadragenario, numerari debet inter illos circuitus.

Hinc Hippocrates secundi circuitus critici, qui est mensis, tractationem aggreditur; ac docet eosdem vel similes effectus illis qui quotidie nobis inuruntur impulsu solis, à luna fieri singulis mensibus, seruata proportione quam mensis habet ad diem velut ad mensuram. Quia dies etsi mense breuior, ipse tamen potior est, quia lunæ circuitus non est spectabilis, nisi propter influxum solis; vnde non aliorum sed synodici mensis vires agnoscuntur, vt plenilunij non aliarum quadrarum. Verum septimus dies criticorum dierum potentissimus est, ideoque septimum plenilunium est omnium pleniluniorum potentissimum, vnde fœtus maturitatem iuuat, vt septimus dies conceptionis opus absoluit. Anno vero qui perfectissimus est circuitus, perfectissima natiuitas, & reliqua vita mensuratur, vt hominem perficiant omnes perfectissimi circuitus. Quo plures & præstantiores causæ iunctis viribus opus aliquod absoluunt, singularum perfectissimis circuitibus, eo maior est impulsus & effectus præstantior emergit. Aliæ particulæ contextus innotescunt ex eorum comprehensione quæ subiiciuntur ad huius opusculi calcem, de perfectione decimestrium.

Interim septimus mensis aliquando sumitur pro septimo plenilunio, vt in his libellis passim; alias vsurpatur pro tertiæ tempestatis initio. In postremo sensu mensium vis omnino fatiscit post septimum mensem, quia tempestatum virtus excellit initio tertiæ tempestatis tantum, quod est quoque septimi mensis initium, non vltra. Siquidem vis quartæ tempestatis, iam non amplius tempestatibus attribuenda, sed anno, cuius efficiendi vis à tempestatum facultate dissimilis est prorsus. Septimus itaque mensis, dum pro tertiæ tempestatis initio sumitur, contrarietate summa morbos exoluit; dum vero pro septimo plenilunio sumitur, similitudine cum pleniluniis aliis omnibus & cum vitæ primordiis sanitates embryorum constituit & incrementa promouet, vt critici dies similitudine qualitatum suos omnes effectus promunt. Omnium enim dierum criticorum vis est consimilis, eademque ratio quæ pleniluniorum ad se inuicem & ad vitæ principia, si quis eorum tra-

ctationem prosequatur ratione proposita de primo & septimo, quos exempli causa subiecit Hippocrates, quia quod incipitur à primo die promouetur à septimo, collatisque symbolis à consequentibus ordinis eiusdem perficitur.

Hinc est vt dierum quadragenarij, qui tertium circuitum criticum constituunt, principem dignitatis locum mereantur in embryorum perfectione. Puellus enim qui primum quadragenarium salutariter transigit, hic effugit abortuum discrimina quæ frequentissima sunt in eo temporis interuallo: non autem qui primum mensem euasit. Abortus vero plures contingunt primo quadragenario quam sequentibus, quia post illud tempus, adepto robore, puelli firmius hærent adinstar fructuum, singulasque partes vltima conformatione plane distinctas habent. Quamquam marium membra perfectius exornata deprehenduntur, fœmellarum vero deterius; quia frigus & humiditas, quæ sunt qualitates inertes, æque dominantur in principiis puellarum generationis, ac in matre. Muliebre semen humidius ab infirmo calore nec facile nec cito terminatur.

Non afficimur à consuetis, nec à propriis aut à similibus; quia similitudo est impedimentum naturale actionis, etenim quidquid agit, agit in dissimile similitudinis inducendæ causâ, qua præsente non est cur operetur. Ea propter sola mulierum genitura, licet omniu mmembrorum vim formatricem contineat, in vtero proprio recepta nihil quidquam molitur. Eadem virili semini fœmellæ generatiuo permixta vix ac ne vix quidem promouetur ab vteri facultate segnius operante, quam dum vires exerit in semina sexus dissimilis. Sic aër ambiens & locus omnis, qualis est vterus quodammodo dissimilis esse debet naturis in eo profuturis & alacrius operaturis. Atque vt ager idẽ, seruata paritate, diuersæ facultatis plantas alit felicius, quam plurimas eiusdẽ speciei. Sic muliebris aluus, quæ tellus altrix ac veluti præsepe fœtus vt matris, dissimiles succos fœtui facilius suggerit, quam similes matri necessarios. Ipsa quippe similibus alitur quos eiusdem sexus fœtui præripit, & excrementitios suppeditat, fœtui quoque nutriendo ineptos. Ideo præter imbecilliorẽ calorem, puellarũ mẽbra serius articulantur, propter infeliciorem nutricatum. Ipsaque mater ab excrementorum colluuie deterius habet, & à partu plurima superfluunt, quia quæ sunt heterogenea matri, fœtui quoque sunt heterogenea. Quare vix adeo probe coloratur ac ea quæ marem gerit, quem matri dissimilia laudabiliter alunt; quia mater & fœtus mutuam sibi præbent opem, quæque nocitura pelluntur à matre, trahuntur à fœtu cui similia sunt. Ita nutritio marium perfectior est vtriusque conspiratione & commodo; ac ipsorum partus plerumque tardior est, quia vix illis deficit alimentum.

Arist. probl. vlt. sect. de tẽperamentis regionum. Hipp. lib. de hum & Arist. l. 2. de part. anim. ca. 3.

laudabile. Fœmellæ contra fere semper præcoces & macilentæ prodeunt in lucem, propter inopiam ſucci laudabilis & alimenti ſpirituoſi, cuius commeatus intercipitur ab excrementorum colluuie. Quapropter quæ marem gerit intenſo calori refrigerando facilius ſufficit reſpiratione libera, quam violentâ remiſſo calori quæ fœmellam.

Vbi vero puellæ prodierunt in lucem, pubertatem celerius attingunt, opportunitatem generandi & rationis vſum iuſtamque magnitudinem quam mares. Quia corporis vniuerſi perfectionem, ſingularum quoque partium quæ totius integritatem complent earumque functionum perfectio comitatur. Huius conditionis ſunt veneris & rationis vſus, mulieres enim corporis & naturæ ſuæ ſummam perfectionem cito aſſequuntur, quia ſunt vitæ breuioris indéque ſingulas ætates breuiores habent. E contra ſemen ex quo mares creantur, longè calidius & grandinoſius eſt, compactioriſque molis. Quia ſemen maſculum diligentiſſime conficitur à teſticulo dextro, ex ſanguine quem per ſeminalia vaſa dextra ſiniſtris ampliora & calidiora prolectat, non ex illuuiei ſeroſæ ductu, ſed ex ipſis fontibus, ideoque ſugitur & excipitur ab vteri latere dextro potius quam à ſiniſtro, propter analogiam qualitatum quibus conſentiunt. Quia dextrum latus vteri ſolidius eſt, calidius & plurimo ſanguine bilioſo perfuſum, quo fœtus maſculus alitur; vt ea de cauſa mares ſint calidiores, ſolidiores & bilioſiores quam fœmellæ. Quapropter mares citiſſime compinguntur & mouent; vt ex ipſis præſtantiſſimi poſſint oriri ſeptimeſtres, propter impetus eorum tunc temporis vehementiam. Quod ſi conatus ille fiat irritus, recrudeſcit & infringitur eorum vigor, cæteriſque longè grauius ægrotant, ideoque ſerius conualeſcunt, & decimo tantum menſe naſcuntur. Inde quoque propter corporum ſoliditatem, difficilius extenduntur & incrementum capeſſunt in omnes dimenſiones. Etſi propter innati caloris robur & humidi primigenij copiam diutius & ad liberaliorem proceritatem augeantur, ac ſerius iuſtæ magnitudinis limites attingant. Hæ ſunt cauſæ propter quas mares ad vitæ diuturnitatem omniumque functionum præſtantiam optime comparati ſunt, maximè vero dum virorum victus legem fideliter obſeruant.

Part. antepenult. & vltima ſect 2. l. 6. Epid.

κινηθὲν ἐμωλύνθη part. penult eiuſdem ſect.

Inſuper Hippocrates in hoc libello perſequitur tantum tractationem quadragenariorum qui maximè ſunt ſpectabiles & puellis mutationes inſignes pariunt. Vt vero primum ſeptimumque diem, ac deinde primum ſeptimũq; menſem maximè ſpectabiles eſſe docuit, ſic & primum ſeptimumque quadragenarios. His addit ſextum quem vocat alterum, quia poſt primum numeratur & tyrannicus eſt, vt ſextus dies pleriſque funeſtiſſimus, propter Octimeſtrem afflictionem, quam docet, vt ſupra notatum, libelli totius argumentum præbuiſſe. Hæc enim non

octimestrium modo, sed & aliorum omnium fœtuum perfectionis aut imperfectionis index & causa est. Septimus autem quadragenarius est ille quem tertium vocat, quo pueri nascentes, etsi laborauerint, postquam effugerunt sexti quadragenarij tyrannidem & iactationem, longè robustiores ac sensibiliores esse deprehenduntur illis qui septimo vel octauo mense oriuntur. Tunc enim primùm lumen & sonos percipere incipiunt, fungique sensibus qui mediis externis indigent, vt omnia diiudicare videantur primo statim post partum die. Quasi tempus illud exornandis omni perfectionum genere fœtibus opportunissimum sit, & summa generandi, vt soluendi morbos facultate præditum. Quapropter fœtus omnium perfectissimi sunt, quibus iste quadragenarius integer vires omnes contulit, antequam pericula partus aggrediantur. At ante septimum quadragenarium fœtuum facultates obtunduntur mucosa excrementorum illuuie, ideoque præ caloris infirmitate pereunt illi partus ærumnas ferre non valentes. Hoc exemplo liquet res omnes elementis iisdem constare, quæ cœlestium circuituum viribus contrarias mutationes sortiuntur. Atque ideo contrariis variegatæ qualitatibus, & innumeris mixtionum modis distinctæ, successu temporum dissimiles formas admittunt variasque proferunt ideas. Hæc euidentius elucent in animalium corporibus, quæ nunc has nunc illas dotes impulsu cœlestium celerius in lucem promunt propter fluxilitatem & easdem mox amittunt vt nouas induant. Vltimo denique loco præceptor pergit ad anni tractationem, qui quarta species est circuitus generatiui & critici. In hoc autem annorum circuitu primum septimumque maximè spectabiles esse docet; vt in aliis circuitibus superius enumeratis semper obseruandos iussit primum & septimum, seu diem, seu mensem, seu quadragenarium. Ac primum quidem quia primus annus continet multas occasiones quibus inimicæ qualitates omnes morborum effectrices fœtibus imprimuntur, simulque continet eas quæ sunt opportunæ constituendis embryorum sanitatibus & incrementis eorum promouendis. Quia complectitur omnes nobilissimas temporis proportiones, siue plenilunia spectemus, siue dies eorumque septenarios & quadragenarios ipsasque anni tempestates. Ac proinde fœtus qui dotibus illis omnibus exornati, & contrariis qualitatibus omnibus etiam vehementissimis agitati prodeunt in lucem, perfectissimi sunt & robustissimi. Septem vero annis sæpius recurrunt eædem vices, quæ puerorum corpora incrementi capacia variis rationibus afficiunt, eaque disponunt ad nouas perfectiones augmento caloris excipiendas. Ita maiores ac solidiores dentes sufficiuntur loco molliorum, quibus vberiori ac solidiori nutritioni deinceps validius incumbunt.

Expositio

Expositio Libelli de Octimestri partu.

HIPPOCRATES hunc libellum non exorditur ab enumeratione temporis quo fœtus Octimestres constant, vt superiorem de Septimestri partu. Quia fœtus isti nulla pollent critica temporis proportione, quodque deterius est, fœtus octauo mense nasci, est eos grauiter ægrotantes altero morbo funeris auctore corripi. Præterea nullum est peculiare huius libelli argumentum, præceptor enim concludit easdem propositiones quas iam probauit libello de Septimestri partu. Verum quia suppoſuerat nasciturοs fœtus demittere caput, nunc luculentius probat inuersionis illius necessitatem, tum cætera deinceps persequitur & diligentius confirmat. Sic itaque ratiocinatur; tantum abest vt Octimestris partus sit perfectissimus, quin imo videtur imperfectissimus omnium, vt ne quidem sit vitalis. Id autem probat propter duas insignes mutationes repentinas, eam scilicet quæ fit in vtero, dum septimo mense fœtus inuertitur, & alteram quæ partum comitatur & subsequitur. Illis enim ambabus, simul & semel nullaque temporis intercapedine, ferendis Octimestres puelli sunt impares; quia prioris afflictione debilitatis altera superuenit, quæ longè vehementior est, & sola per se tenellum fœtum malis obruere potest. Siquidem decimestres ipsi qui septem quadragenariis constantes erumpunt, & sunt maximè vitales, vix superesse possunt. Licet enim perfectissimi sint, quia septimus quadragenarius integer omni perfectionum genere fœtibus exornandis opportunissimus est, ideoque multum proficiunt à primo illius die. Multi tamen occumbunt in partu & à partu, quia pauco tempore coguntur subire mutationes insignes, quarum vehementiam mors plerumque consequitur.

Hinc auctor incipit vtriusque mutationis magnitudinē & ineluctabilē necessitaē demōstrare. Ac primo quidem mutationis illius periculosæ, quæ septimo mense familiaris est omnibus puellis; & ex qua grauiter laborare incipiunt, dum resolutis membranis demittunt caput, & inuertuntur in vtero. Istam vero mutationem probat ex historia anatomica omnium animalium perfectorum, quorum fœtus circa conceptionem & quandiu sunt immaturi deprehenduntur intra vterum habentes elatum caput, & versus superiores matris partes constitutum. Atque potissimum ex anatomica inspectione diligenti mulierum grauidarum, quarum fœtus nondum maturitatis tempus attigerunt. At omnium quoque animalium & hominis fœtus ortu naturali & legitimo proijciuntur in lucem præuio capite, quia partus hic vnus est naturalis &

familiaris omnibus pene parturientibus. Ideoque necesse est fœtus omnes ante partum naturalem corpus inuertere; quia dum puer erumpit in lucem præuio capite, tum corporis illius partes obsequuntur, neque sunt impedimento propter flexibilitatem. Caput enim verticis acumine sibi reliquoque corpori viam parat, & illius ossa laxis harmoniis distincta facile cedunt in angustiis vteri. Ipsa quoque brachia nullum præstant offendiculum, totusque thorax subsidens contrahitur & angustiori meatu transmitti potest. Præterea fœtuum pedes implicari non possunt vmbilico, quia laxissimus est, & interuallo minimo distant. Ipsique propter tenuitatem hærere non possunt in amplitudine locorum inani, dum caput & humeri deorsum feruntur. Adde pedes innixos vteri fundo corporis truncum facilius excludere.

Dum vero puellus erumpit in pedes, tunc extensus erigitur; ideoque superiora corporis grauitate qua pollent inclinant in alterutrum latus vteri decumbentia, versiones in vtero vocat Hippocrates, à quibus mẽbrorũ & spinæ distorsiones similiaque pericula. Ita crebræ circa puellorũ ceruicẽ vmbilici reuolutiones deprehenduntur in huiusmodi partu, à quibus miserrimè strangulantur. Quia pueri caput inclinat potius in eam vteri partem cui iecur vterinum affigitur, & cui vmbilicus coextenditur; eaque propter facile contingit vmbilici reuolutio circa ceruicem vel brachium, quarum prior funesta plenè est. At si fiat vmbilici reuolutio circa brachium, tunc ipsum rigidum manet vmbilico contranitente, indeque matrem vehementer vellicari, & grauiter ægrotare necesse est; ac ipsum fœtum suffocari propter vmbilici compressionem, vel saltem longè difficilius erumpere. Nam dum præuiis pedibus editur, nisi facultas expultrix vteri munere suo strenuè fungatur, tum fœtus impingit in costas & pectus, aut hæret humeris & inferioris maxillæ basi. Ita vt plerique prodeant in vtero nacti morborum semina ex quibus alij moriuntur, alij conualescentes euadunt.

Nam quicunque fœtus ex vtero præuiis pedibus facilè tutoque prodeunt, erumpunt propter vehemens solius expultricis vteri robur; quia fœtus moliri nequeunt impetum nisi pedes innixos habeant, & expeditum sit principium motus. Vnde partus omnis in pedes opus est vnius vteri, fœtu nullomodo conspirante. Præterea fœtus ex hoc partu nunquam prorsus incolumis emergit, quia necesse est placentam vteri parietibus adhærere, quousque totum corpus ipsumque caput erumpat; (alioquin enim obrueretur illico lochiorum illuuie.) Ideoque fœtus aëris commercio frustratur aliquandiu, propterea quod vmbilicus ab ipsius mole comprimitur in angustiis vteri. Atque hinc in vniuerso puelli corpore tumor œdematosus exoritur, quia calor refrigerij defectu marcescens & elanguidus humorem proprium resoluit in halitus.

Illi vero pariunt inflationem quæ plerumque viam sternit lethalibus morbis in quos fœtus incidunt, nisi recreato calore natiuo tumor subsidat ante diem tertium vel paulo serius.

Demonstrata necessitate mutationis quæ septimo mense contingit omnibus puellis; atque mutationis alterius repentinæ quæ partum comitatur, Hippocrates deinceps agit de magnitudine mutationis partus consectariæ, quæ posteriori continua pro vna & eadem numeratur ab auctore, qui singulas illius partes recenset. Harum prima spectat ad alimenta nempè lac, aërem & similia, quorum vires alienæ si quæ sint, hæ naribus & ore penetralia subeunt. Cumque debeant exhiberi quæ neque qualitatibus neque copiâ deficiant aut exuperent, ea longè plura sæpius ingeruntur. Itavt præ copia variaque puerilis corporis constitutione cogantur remeare per os aut nares, deglutitionis & organi defectu; vel imbecillitate facultatis incocta deijciantur. Elegantissima quibus auctor exponit alia capita repentinæ mutationis istius euidentia sunt in contextu.

Hic obseruandum diligenter insigne artis & naturæ discrimen; hæc enim non modo puellos creat, sed & inculpata sanitate beare solet imperfectissimos; ars autem quos excipit robustissimos, ægrè conseruat. Itavt naturæ moderaminis in artis humanæ moderamen commutatio frequentissima sit mox natorum interitus causa. Nec mirum natura quippe est vis & character diuinitatis rebus omnibus corporeis impressus. Quapropter diuina illa ratio res omnes ad amussim perficit, absq; vlla deliberatione vel ratiocinio. Sic instinctus omnes missa quauis deliberatione, quia prodeunt à natura, determinant animantes ad obeundas functiones; has enim summa sagacitate semper exercent ex impetu, & citra errorem propositos fines assequuntur. Id in omnibus earum functionibus, at maximè in editione ac educatione fœtuum obseruatur. Humana vero mens, perfectæ licet artis ope instructa, plerumque ratiocinatur & deliberat. Hæc autem supponunt inscitiam quia fiunt ad eligenda media & rationes, ad ignotæ veritatis comprehensionem necessarias, & ad incerti finis consecutionem, vnde errori locus. Ideoque nullus est artifex qui non hallucinetur aliquando, peritissimus est qui minimum. Quapropter artes omnes instinctibus & naturæ moderamine sunt longè inferiores. Quare sagacitas humana nullâ vnquam diligentiâ potest assequi excellentiam qua perficiuntur ea quæ naturâ constant. Atque ideo multo deterius agitur cum fœtu dum regitur hominum etiam sapientissimorum prudentiâ, quam dum res illius administrantur à natura. Recensque natus non eget exiguo virium robore, quo se vindicare possit incolumem ab erroribus quibus adeo frequenter peccatur in eius commoda.

Cæterum quia Hippocrates ſuppoſuerat multas calamitates inuadere puellos ex vmbilici compreſſione, præceptor huius rei rationem nunc ſubjungit. Fœtus enim non poteſt incolumis alimentorum commeatu vel minimo tempore deſtitui. Horum autem benignitate fruitur vnius vmbilici beneficio; quia ſolus vmbilicus ex omnibus corporis partibus adhæret vtero, dum meatus alij quorum ope puelli fruuntur alimentis prorſus occluſi conniuent; nec interhiant vlla ratione priuſquam fœtus perfectè maturus in procinctu ſit ad erumpēdum in lucem. Tunc itaque primum fit repentina meatuum aliorum reſeratio, vmbilicus autem deinceps inutilis marceſcit & occluditur. Vtque maturi fructus arborum decidunt, quia pediculo non amplius alliciunt alimentum quo non egent. Sic planè perfecti fœtus alimenta reſpuunt quæ ſua non ſunt, ſed immaturis tantum conueniunt. Ac propterea tunc marceſcit & occœcatur vmbilicus; alij vero meatus reſerantur, vt fœtus alimenta, quæ perfectis animalibus toto vitæ curſu neceſſaria ſunt, ingerere & eiectiones excrementorum moliri poſſint. Tunc enim triplicis alimenti perfectas habent officinas, in quas expetita ſingula diſtribuuntur, & excrementorum diſtincta conceptacula in quibus eliminanda colliguntur, vt ſinguli ciues in propria tribu. Præceptor ex dictis innuere videtur non alimentorū modo, ſed etiam meatuū quibus alimenta deducuntur, commutationem repente fieri, proindeque periculosè. Licet enim fœtus à ſeptimo menſe, quo primum perfecti ſunt, naribus & ore minimum quid aëris alliciant; nihilominus tamen id ſuperioribus eorum partibus tantum ſufficere poteſt, quia tum minimus eſt illius vſus. Vbi vero partus imminet, vteri contractione vehementi planè tollitur aëris externi commeatus; vſus autem inſigniter adaugetur in matre & fœtu. Vixque duci poteſt aër niſi plane fuliginoſus in ſumma refrigerij neceſſitate. Quare ſi qualiſcumque eſt intercipiatur, vmbilici compreſſione vel momentanea, fœtum ſuffocari neceſſe eſt.

Hippocrates itaque demonſtratis aliorum fœtuum defectibus tandem concludit, vt in libello ſuperiore, præſtantiſſimos eſſe fœtus connutritos perfectiſſimis ſolis circuitibus. At omnium circuitum perfectiſſimus eſt annus, is enim nō modo propriis viribus excellit, ſed etiam continet aliorum circuituum perfectiſſimorum virtutes. Ita continet ſeptem dierum quadragenarios, ſiue quatuor ſeptenariorum denarios, alioſque circuitus omnes perfectiſſimos. Iſti vero fœtus iidem ſunt qui vulgo decimeſtres & vndecimeſtres appellantur, qui ſeptem dierum quadragenariis eodem modo conſtant, quo ſeptimeſtres ſemianno. Illius ergo ſummæ decimeſtrium perfectionis opifex eſt annua reuolutio, hæc enim quatuor primas qualitates binas inuicē ſibi ſuccedentes,

& ad summum gradum prouectas continet. At in illis qualitatibus posita est omnis contrarietas aut similitudo. Ideoque annus parit in vnoquoque summam similitudinem & perfectionem vitæ principiorum, eademque impugnat summa contrarietate. Verum similitudo perfectissima cum vitæ primordiis est opifex inculpatissimæ sanitatis; & quantum fieri potest promouet incrementa molis & virium. Summa vero contrarietas alteratione corruptiua lethales morbos & mortes infligit. Quapropter fœtus qui summæ contrarietatis illius vires eludere valuit, & antiperistasi facta confirmatus qualitates amicas succosque similes colligere contrariis obsistendo. Ille tandem recurrentibus propria tempestate quam simillimis humoribus & qualitatibus amicissimis, quibus vberrime foueri & augeri potest, robustissimus erumpit.

Præterea singuli solares circuitus etiam minimi, continent omnes qualitates quæ sunt vnicuiq; vtiles aut aduersæ. Ideoque fœtus robustissimus est & perfectissima proportione constat qui valuit è circuitu solari perfectissimæ proportionis vtilitates omnes carpere & à contrariis immunis fieri. Generatiui siue critici dies similitudine qua pollent inter se & vitæ principia generationem promouent Illius enim fundamenta iaciuntur à primo grauiditatis die quo semen admittitur. Ac proinde generatiui siue critici dies omnes, qui numerantur ab illo die, sensim commissis symbolis & conglobatis similium qualitatum succorumque uiribus, adaugent fœtus & perfectissimos tandem constituunt perfectissimis dierum circuitibus; Hi verò sunt septem quadragenarij, siue quatuor septenariorum denarij, quibus à similibus vtilitatem carpere valuerunt, & à contrariis immunes fieri.

Res omnes viuentes amicarum qualitatum familiaritate, succorumque similium appositione capessunt incrementa molis & virium, quandiu earum mollities ac humoris primigenij copia & sequacitas id permittunt. Dum vero corpora viuentium natiui caloris assidua functione siccata, non modo reluctantur extensioni, sed etiam multum refrixerunt; tunc ea defectu caloris & spirituum minus obsistunt contrariis & humiditatis excessum colligunt. Verum generatiui circuitus omnes humiditatem & alias qualitates, vniuscuiusque vitæ propter idiosyncratiam familiares, perennitate recursus in omnium viuentium corporibus inducunt & instaurant, quare generatiui circuitus res omnes viuentes augmenti capaces promouent, & easdem senescentes interitu naturali perimunt iisdem qualitatibus & inducto humiditatis excessu. Præterea contrariæ qualitates reciproca & necessaria successione vigent iisdem circuitibus quibus amicæ, quia motus omnis fit à contrariis terminis in contrarios; eodem die vigent calor & frigus, humor & siccitas; singuli quippe circuitus qualitates omnes continent. Ac pro-

propterea viuentium vires sensim læduntur & euanescunt iisdem circuitibus quibus apicem naturæ suæ perfectionis attigerant. Nam quæ non possunt appositione similium proficere, neque contrariis æquo marte reluctari, ea sensim læduntur ac obruuntur humiditatis excessu: & quo sunt imbecilliora magis admittunt qualitates aduersas. Ideoque res omnes senescentes longe magis offenduntur, & tandem occumbunt interitu naturali circuitibus criticis, non alio tempore.

His principiis & rationibus innixus Hippocrates admirabilia quædam theoremata protulit quæ manifesta sunt ex superioribus, & ratiocinio se consequuntur vt contextu; quapropter appositissimum videtur ea nunc subijcere. *Facile est certo prædicere* naturales *interitus aut magnas ægritudines, quia quæcunque moriuntur* interitu naturali, *ea non solum die & mense critico moriuntur, sed & anno.* Hic obseruandum diligenter Hippocratem menses inter corruptiuos, vt inter generatiuos circuitus numerare; quia mensium id est pleniluniorum vires ac circuitus in fœtibus, & in his qui vergunt ad interitum naturalem potissimum vigent; propter humiditatis excessum quem rebus omnibus inducunt. Imminentis autem mortis vt ortus, aliarumque rerum omnium spectabilium, indicia quædam prælucere debent. Verum naturalis interitus imminentis indicia nulla certiora sunt, quam iacturæ naturales ac spontaneæ facultatis alicuius ac potissimum visionis, quia propter imbecillitatem caloris & eximiam organi structuram prima perimitur. Quare *mors breui futura prædici potest quibus* ætate prouectis, sponte sua, sensim *visus oblæditur. Quod si labes ista contingat anno critico, vereri decet vtroque nomine funestam crisim.* Siquidem signa, quæ circuitibus criticis elucent, certiora sunt quia prodeunt à causis vniuersalibus & ab aëre, cuius infestæ virtutis proximo circuitu rediturae necessitas est ineluctabilis. *Quod si cæcitas anno minimè critico, dieque minimè critica contingat,* ideoque non ab vniuersi natura, sed à victus legis errore, vel à causis fortuitis, quarum impetus præcaueri & eludi possunt. Nihilominus tamen *necesse est oppetere mortem* naturalem *die critico*, quia circuitus critici pollent qualitatibus ad summum prouectis, in quibus vis inferendæ necis. Omnium vero *circuituum potentissimus est tertianus*, septimus enim dies ideo potentissimus est, quia triplicis ternarij conglobatas vires continet. Ita triplex septenariorum ternarius componit annum climactericum qui frequentissimus est futuræ mortis index. Homo dierum septenario constitutus capissit incrementa molis & virium similitudine septenariorum qui consequuntur. Vtque critica dierum vis extenditur ad ternarium quadragenariorum, siue ad viginti & centum dies; sic triplicatus idem numerus per septenariorum denarios septem

Marginal notes: Lib. 2. Epid. sect. vlt. f. 318. v. 17. & seq.

Causas externas omnes ad tres reuocauit, nempe ad ambientis constitutionē, naturam cōmunē vocat, diætā, & impetū violentū, de quibus tractatu nostro de crisibus f. 5. v. 23. & seq.

Nouies quadraginta die-

componit annos; qui iunctis viribus incrementa puellorum insigniter promouent; quia dies & anni critici, eorumque septenarij pollent summa similitudine cum principiis vitæ vniuscuiusque peculiaris viuentis suo influxu generati.

rum septenarij, siue trecentum sexaginta dierū septenarij l. de principiis ad calcem.

Nascentia proficiunt ab iis quæ contraria sunt, & ab iis quæ similia vitæ nostræ primordiis. Quæ prona ruunt ad interitum naturalem, læduntur ab vtrisque; læduntur à contrariis quia minimè moliuntur antiperistasim. Verum eadem magis offenduntur à similibus, quia senectus ad humoris excessum procliuis est; humiditates enim congerit quas propter imbecillitatem caloris nec coquere & apponere potest nec excludere. Ideoque humiditates illæ suâ copiâ calorem tandem obruunt, aut extingunt socio frigore, nisi concepta putredine calor insitus ab extraneo dissoluatur & marcescat. Hinc senes interire solent hyeme & vere, longéque melius habent æstate & autumno, quandiu nondum vigent frigus & pluuiæ, quia siccitate reprimitur humoris excessus, quo flaccida mucosaque senum corpora superfluunt. Senectus enim contingit imminutione caloris & ignis recessu, quem sequitur humiditatis aqueæ dominium, præterea in senectute, siccitatis quæ viget in ætate virili, mutatio fit in contrarium. Senes itaque magis offenduntur à calidis humidis, à quibus ea quæ nascuntur ortum & augmentum assumunt; pueri siquidem vere florent & à calidis humidis omnibus proficiunt. Sed humiditatis dominium, proprio cuiusque respectu, recurrit singulis circuitibus generatiuis & criticis, vt probatum. Proindeque naturalis interitus contingit à circuituum criticorum facultate quæ manifesta puerorum incrementi causa est. Siquidem puelli septimo dierum quadragenario perfectissimi nascuntur, multum proficiunt anno septimo, multoque magis incrementa capessunt aliis annorum septenariis.

Aph. 18. l. 3.

Lib. 1. de diæta vbi plura de ætatibus f. 88. v. 25. & seq.

Aphoris. laudato.

Libellus iste tandem concluditur solutione difficultatis de puellis vndecimestribus exponenda proximè sequenti appendice; interea tamen particulæ contextus auctoris nunc expendendæ sigillatim. Hippocratres itaque præmittit quatuor hypotheses, quarum prima est quod exacta purgatione consuetum sit mulieres excipere semen & concipere, licet aliquæ concipiant extra tempus illud: sed rara non sunt artis. Innuere quoque videtur quamquam subticuerit fœcundas mulieres euacuari circa plenilunium. Vt enim vere & æstate contingunt hæmorrhagiæ iuuenibus, sic ab analoga facultate plenilunij contingit, vt plurimum, menstrualis hæmorrhagia fœcundis & probè temperatis mulieribus. Impuræ vero, quales plerumque steriles & vetulæ, repurgari solent extra plenilunia, vt autumno senes & melancholici dysenteriis & hæmorrhagia crebro corripiuntur. Quia pleniluniis vt vere

Libro 1. de morbis mulier. f. 2. 9. v. 27. & seq. & alibi passim.

Li. de natura hum. f. 14. v. 13.

ſanguis exuperat, aliis verò tempeſtatibus & Lunæ quadris humores alij ſingulis analogi. Secundo ſupponit minimum tempus quo fœcundæ mulieres euacuari poſſunt eſſe trium dierum, licet aliquæ multo diutius & ſeptem diebus repurgentur. Hæc hypotheſis planè falſa deprehenderetur à ſedulis obſeruatoribus, niſi primę tertięque diei particulas pro diebus vſurpemus: quod ſane fieri concedendum ſi diei particula totius menſis, imo tempeſtatis vnius vires contineat, vt ipſe docuit libro de ſeptimeſtri partu. Tertio ſupponit nouilunium eſſe diem proxime, fereque trigeſimam ſynodici menſis partem, quia trigeſima pars ſemidiei deficit: duos vero dies fermè, decimam quintam menſis partem componere: ſicque tres dies, quę minimum purgationis tempus conſtituunt, eſſe decimam menſis partem. Hinc agnoſcitur Hippocratem nunquam computaſſe per menſes ſolares, quos ne quidem nominauit vllibi, licet aliquando Gręcos menſes appellauerit, vbi non agitur ex profeſſo & exquiſitè de criſeon & partuum cauſis ac periodis opificibus. Alioquin enim per ſoles ſiue dies, per ſeptenarios aut ſeptenariorum denarios: aut per quadragenarios computat; verum vbique per ſynodicos menſes etiam hoc loco. Quamquam Laurentius abuſus ſit hoc textu quo probat Hippocratem computaſſe per triginta dierum menſes, ſed erroris illius cauſa fuere duo commata poſita ante aduerbia, *proximè* & *ferè*, quæ poſtponi debent. Quarto ſupponit embryorum conceptionem fieri non poſſe minori tempore quam trium dierum; quia conceptionis tempus eſt æquale tempori quo muliebria profunduntur; minimum verò tempus muliebrium profuſionis eſt trium dierum. His poſitis concludit vt infra demonſtratur.

Sect. 3. l. 2. Epid. f. 316. v. 16.

APPENDIX.

Plenilunia Sola ſpectari.

SEPTIMESTRES fœtus fieri dicuntur ex centum diebus & octoginta duobus, cum dimidio diei & diei particula. Quia numerus ille dierum continet ſemiannum cum diei particula. Idemque dierum numerus continet ſeptem plenilunia, ſi contingat vt receptio ſeminis fiat initio plenilunij. Simili quodammodo computatione exponenda prognoſis difficillima de naſcituro fœtu ſeptimi menſis initio. *futuris ſeptimeſtribus labores*, id eſt motus & agitationes, *contingunt circa tertium & quinquageſimum diem* grauiditatis. Quia licet ille dierum numerus tres menſes integros aut tria plenilunia non contineat, is tamen dierum numerus attingere poteſt tria plenilunia ſuis extremis, primo ſcilicet & vltimo die. Nam ſi receptio ſeminis fiat

Initio l. de ſeptimeſtri partu f. 44 v. 20.

Sect. 3. l. 2. Epid. f. 316. v. 14.

vltimo die plenilunij, computari debent octo dies illius primi mensis; alter numeratur integer; tum denique computandi quindecim dies è tertio mense, quibus tertium plenilunium attingitur, ita vt dierum summa sit trium & quinquaginta. Primus autem puelli motus tertio mense percipitur, ex omnium consensu.

Sic vbi Hippocrates dixit, *in vndecimestri partu, minimam partem sumi debere pro toto mense*, id non debet intelligi de minima parte cuiusuis quadræ, sed de minima parte solius plenilunij. Siquidem nouimestres fœtus ipsi dici possent vndecim mensibus lunaribus constare, quia nouem menses solares continent quatuor dies cum dimidio supernumerarios; vnde nouimestres fœtus amplecti possunt aliquot dies lunaris primi mensis desinentis, & aliquot dies vndecimi mensis incipientis. Intelligi vero sola plenilunia manifestum fit expositione subiecta textus alterius quo tota difficultas agitatur & soluitur ab Hippocrate. Puelli qui fiunt ex septem quadragenariis dicuntur vndecimestres; quia dum semen excipitur circa finem primi plenilunij, puelli quodammodo fiunt ex vndecim pleniluniis. Siquidem primi & vltimi septem quadragenariorum dies non comprehendunt vndecim plenilunia; illi tamen hæc attingunt si septem quadragenariis tempus fluoris & conceptionis addas. Nam inter vltimum diem plenilunij vnius & primum diem alterius comprehenduntur duo & viginti circiter dies. Quare si ex illo dierum numero detraxeris septem vel octo dies eorum qui necessarij sunt & ad purgationem mulieris & ad embryi conceptionem, supererunt ad legitimum puelli tempus quatuordecim tantum dies cum dimidio, qui nouem mensibus lunaribus intermediis & integris additi perficiunt ducentum octoginta dies, siue septem quadragenarios.

Lib. de Septim. partu f. 45. v. 3.

Ad calcē lib. de Octimestri partu f. 47 v. 35. & seq.

Hippocrates sect. 3. lib. 2. Epid. dubitanter proposuit, *An nouem menses numerandi sint à purgatione mulieris*, id est à receptione seminis, *vel à die conceptionis.* Quia deprehenderat aliquas grauiditates, propter quas, libro de alimento, trecentum dierum fœtus numerauit, excedere septem quadragenarios, quos existimabat esse postremum gestationis humanæ circuitum, sicque leges criticæ proportionis infringi. Hippocrates multum laborauit vt se expediret ea difficultate, nihilominus tamen illius solutionem docet computando, non à die quo purgatio muliebris incipit, nec à die quo desinit & semen excipitur, sed à die conceptionis, fœtuū enim conceptio, quæ pendet ex organorū sufficienti dispositione ad vitā, nunquā fit ante diem tertiū post receptionē seminis; licet plerūque multo serius & septimo die fieri possit, tū propter humiditatē quarumdam mulierum, tum propter seminum virilium frigiditatē. Quapropter cum tempora muliebrium profusionis & fœtuum conceptionis æqualia sint, & plereque mulieres repurgari soleant circa pleni-

lunium; eædem semen excipient circa finem plenilunij, concepturæ dies aliquot, plures aut pauciores ante lunæ coitum. Quare si computatio septem quadragenariorum fiat à die conceptionis, necesse est eos quadragenarios comprehendere tot fere dies ex vndecimo plenilunio, quot diebus illæ mulieres conceperint post primum plenilunium.

Vndecimestres huiuscemodi rarissimi sunt, quia puelli ipsi qui constant septem quadragenariis à receptione seminis admodum rari sunt. Ideoque multo rariores sunt illi quorum gestationis circuitus extenditur ad septem quadragenarios, etsi computatio fiat à conceptione. siquidem generatio huiuscemodi puellorum longissima est, ideoque suis extremis attingit vndecim plenilunia. Ea quippe generatio continet septem quadragenarios cum septem diebus, vel etiam pluribus ad quatuordecim; quia longissimum fluoris tempus in fœcundis mulieribus extenditur ad septem dies; atque ideo totidem dies alij computari possunt ad seminum in vtero præparationem, antequam conceptio perfecta sit. Hippocrates addit muliebrium profusionis tempus, quia locorum purgatio numerari debet inter dispositiones conceptionis, quæ licet minime contineantur vero tempore gestationis fœtus, conducunt tamen ad illius generationis opus absoluendum. Ipsa quoque seminum præparatio censeri potest extra septem quadragenarios propriumque gestationis tempus, & inter conceptionis dispositiones numerari, quia nondum est fœtus, quandiu seminum remanet idea.

Sic vbi sextum quadragenarium vocat octauum mensem, quia mensis octauus integer in illo quadragenario semper continetur, & est eius
Lib. de septimestri partu f. 44 v. 47.
præcipua pars, ait; *Mensis autem octauus non solum est tempus illud*, scilicet triginta circiter dierum, *sed & assumi debent dies aliquot à mense septimo & à nono, nec-non ab anno.* At impossibile est sextum quadragenarium à nono mense vllum diem sumere, nisi per nonum mensem intelligamus nonum plenilunium, nonus enim mensis integer continetur septimo quadragenario, nonum vero plenilunium contineri potest sexto quadragenario, sex enim quadragenarij continent octo menses solares completos, qui constant ducentum quadraginta diebus. Itaque vt manifestum sit quomodo sextus quadragenarius contineat nonum plenilunium, intermedij septem menses lunares synodici numerandi sunt integri, continentque ducentum sex dies cum dimidio; supersunt ergo triginta tres dies cum dimidio, vt primum vltimumque plenilunium contineantur. Horum quindecim continent primum plenilunium quo potest incipere grauiditas; supersunt igitur vndeviginti circiter dies, quorum beneficio nonum plenilunium contineri potest sexto quadragenario & octauo mense solari.

Insuper hæc veritas longe luculentior efficitur expositione quatuor

huius libelli contextuum qui connexi lucem sibi præbent inuicem. Primus est *nunc plures nunc pauciores dies è septimo mense accedunt ad sextum quadragenarium*, quia fœtui semper tyrannicus est. 2. *Nam cum septimo mense membranæ laxantur, tum fœtus*, demisso capite, *sedem mutat & inuadunt labores qui circa octauum mensem & sextum quadragenarium fieri dicuntur*. At semper & nunquam nisi 3. *Perfecto maturoque fœtu resoluuntur membranæ in quibus ab initio nutritus fuit, quemadmodum spicarum membranæ laxantur*, prius non cedentes sponte sua nec nisi *ad id coactæ, antequam fructus perfecte maturescat*. Quare maturitas fœtus incipit nunc initio statim septimi mensis, nunc in medio, nunc in fine 4. *Prout mulierem semen excipere contingit in plenilunio, vel post plenilunium*. Nam si mulier excipiat semen in plenilunio primi mensis, tum puellus in septimo plenilunio, in quo semiannus (qui dicitur grauiditatis tempus) exactus est, vtriusque periodi conspiratione perfectus est. Si vero seminis receptio fiat post plenilunium; fœtus non est perfectus nisi exacto mense septimo, quo septimum plenilunium contingit. Ac proinde res omnes enumeratæ septem pleniluniorum viribus, fere simul & semel contingunt & se inuicem consequuntur necessaria connexione. Nam fœtus adipiscitur maturitatem, membranæ laxantur, puelli situs immutatur & incipit octimestris ægritudo septimo mense ineunte vel desinente; pluresque vel pauciores dies accedunt è septimo mense ad octimestrem cacopathiam, *Prout semen excipere contingit in septimo plenilunio, vel post plenilunium*.

Lib. de septim. partu f. 44. v. vlt. Eodem l. f. 45 v. 11. & seq. Tum eodē l. f. 44. v. 25 & 26 Eodem li. f. 45. v. 22

In dubium vero reuocari non potest octauus mensis, ex eo quod integro illius decursu puelli sunt elanguidi, & sexto quadragenario comprehenditur integer, succedit enim molitioni quam fœtus quærunt ad erumpendum in lucem. Quia frustratio molitionis illius est finis & extinctio septimestris alacritatis, ac impetus illius quo recenter accepta maturitate vigentes egredi nituntur & saltem demittunt caput, eaque frustratio octimestris ægritudinis initium est. Quis autem sperauerit felicem crisim tempore minime critico, fractis naturæ viribus, paulo post acrisiam ab erethismo tempore critico factam, quæ propterea funestior est. At vero sextus quadragenarius, vt sextus dies, minime criticus est, quia natura non mouet continuis temporibus, sed interpolatis, & illico succedit irrito conatui septimestrium quo prostrati laborant. Quamvis itaque sextus quadragenarius semper exordium sumat à die vigesimo primo septimi mensis, octimestrium tamen ægritudo plerumque citius aut serius incipit & aliquando breuior, aliquando diuturnior est. Itavt hæc ægritudo perseueret ad annum affectum, & ad septimum quadragenarium exactum; hic autem comprehendit decem dies è quarta tempestate, cuius familiaritate prorsus instaurati plane conualescunt, non ante.

Lib. de septim partu f. 45. v. 2.

Denique mensem octauum, aut potius octimestrem ægritudinem dies aliquot ab anno sumere, & puellos plane non conualescere, priusquam perueniant ad mensem decimum quartęque tempestatis initium, manifestum fit ex eo quod nouimestres macilenti nascuntur: & quia partus & morbi iudicantur iisdem circuitibus. At quicumque morbi minime iudicantur dierum circuitu, neque septimo mense, id est tempestate plane contraria illi cuius malignitate inducti fuerunt, ipsorum solutionem differri necesse est ad annuam reuolutionem quartæque tempestatis initium. Quarta quippe tempestas continet similitudinis omnis apicem: itaut quod viribus asymbolis & plane contrariis non procedit, perficiatur omnimoda similitudine, sanitates & incrementa prodeunt à similibus & amicis fœtui qualitatibus, quæ longe præcellentius insunt quartæ tempestati, quam pleniluniis & diebus criticis. Ideoque partus qui non fit septimo mense, differri debet, vt morborum solutio, ad annum affectum, propter impulsum naturæ communis & puelli vires tunc instaurandas. Si vero citius inceperint & leuior fuerit octimestris ægritudo, puellus minori damno tentare poterit exitum mense nono desinente, propter vires quodammodo refectas & proximitatem termini partuum perfectissimi.

L. de sept partu f. 45. v. 4.

Part. vlt. lib. de nat. hum.

Hippocrates itaque mensem denominat à solo plenilunio; quadragenarios vero designat nomine mensis quem inuoluunt integrum. Ita per octauum & nonum menses passim designat sextum & septimum quadragenarios, quia integri continentur à sexto & septimo quadragenariis. Sic tardior partus nono mense fieri dicitur, id est septimo quadragenario. Lucina dicitur præesse partui, quia luna in pleniluniis orbe lucens integro menstruas purgationes mouet in plerisque mulieribus, ac illis desinentibus mulieres excipiunt semen. Eadem vero luna similitudine qualitatum vitæ familiarium iuuat embryorum generationem, quam cætera plenilunia promouent. Decimum vero plenilunium, præter aliorum commoditates, mulierum loca resoluit humiditate, cuius auxilio maturum fœtum circa nonum mensem exactum facilius in lucem promunt. Ipsi quoque pueruli post ortum propter eamdem causam, melius habent in pleniluniis, & vigente luna laudabilius instaurantur ex morbis.

Lib. 1. de diæta f. 86 v. 28.

Aliæ rationes quibus probatur decimestres partus esse perfectissimos. Hypotheses.

PRÆSTANTISSIMA quæque, non homogenea modo, sed & heterogenea, minima sui parte totius vires continent; quia res

eximiæ propius accedunt ad Dei naturam, in quo quidquid est, Deus est. Sic homo, qui pars vniuersi præstantissima, totius compendium est, ac omnes illius perfectiones continet. Ita seminis, vt hominis, minima pars iisdem constat & eadem continet, quæ maxima pars illius totumve corpus. Annus autem circuitum cœlestium perfectissimus est, ac partibus constat dissimilimis; proindeque dies, mensis & ephodus, quæ sunt anni partes heterogeneæ, quatenus contrariis pollent qualitatibus, totius vires compendio coercent. Quilibet enim dies & mensis, vt annus, quatuor humorum qualitatumque vires successiuas omnes continet, & fluxum refluxumque maris singuli commouent. Huius autem rei ratio est, quia circuitus illi sunt mensuræ, eæque non inertes & arbitrariæ, quales artificum; sed naturales & eorum quæ mensurantur propriis viribus opifices. Porro mensura debet esse maxima & minima simul, minima quidem, id est in partes exiguas diuidua, vt ad quodvis etiam minimum sui generis metiendum adhiberi possit, maxima vero vt ad omnia possit extendi.

Initio lib. de loc. in hom. f.63. 63. v. 40.

Lib. 5. Ethic.

Propterea conuersio solaris, quæ sola vires illas iure merito sibi vindicat, est vera mensura & in dies, tempestates & annum adæquata diuisione distribuitur; vt operosas magnæque molis generationes, indeque corruptiones metiri possit, nec minimis mutationibus æqualis & propria mensura deficiat. Diei vero partes singulæ seorsim non pollent quatuor qualitatibus, nec sunt circuitus; sed ad diem reuocantur & pro toto sumuntur, ideoque separatum periodi criticæ diuisionis membrum non constituunt. Itaque generationes animalium diriguntur illis circuitibus, nobiliora quidem pluribus iisque perfectioribus, deteriora vero minoribus tantum. Siquidem *quæ primordia sumunt ex verme, perficiuntur tribus dierum hebdomadis: quæ fiunt ex ouo quatuor hebdomadis absoluuntur.* Cæteraque deinceps animalia generantur seruata proportione nobilitatis ad numeros hebdomadum, *omnia enim prorsus animalia pariunt*, atque etiam viuunt *temporibus distributis in certos hebdomadum numeros*: Ac ipsius *hominis natiuitas, vt tota vita dierum septenariis distribuitur*, nam tres & quatuor decades hebdomadum continent duos perfectissimos humanæ generationis terminos. *Fœtus vero nouem mensium cum decem diebus proportione constat & plane vitalis est*, non quia continet nouem menses cum decem diebus, sed *quia continet hebdomadum numerum legitimum, quatuor enim decades hebdomadum continent ducentos & octoginta dies, hebdomadum vero decas septuaginta diebus constat.*

Part. vlt. lib de natura hum. & part. vlt. lib. 3 epid.

cap. 20. l. 5. de hist.

cap. 17. l. 6 de hist.

Libro de principiis f. 43. v. 30.

Lib laud. & f. v. 48.

Prima ratio.

IAm vero nouimestris fœtus non constat numero legitimo temporis, ad decadas hedomadum; non pollet viribus omnium tempestatum, nec anni qui perfectissima periodus; neque septem dierum qua-

dragenariis conſtat. Quare nouimeſtris partus nulla conſtat proportione temporis, qua ne quidem carent animalia quæ prodeunt ex verme; proindeque partus iſte non eſt perfectus, niſi quia propius accedit ad perfectiſſimum. Partus ante decimum menſem non fit, niſi violentus aut alterutrius alimenti defectu; proindeque nouimeſtris partus non eſt naturalis, tantum abeſt vt ſit perfectiſſimus. Partus contingere debet temporibus criticis, at nonus menſis, vt nonus dies, nullomodo criticus eſt nec index, ſed tantum intercidens: quare partus noni menſis non eſt naturæ legi plane conſonus; ideoque perfectiſſimus eſſe non poteſt, etſi communiſſimus. Perfectiſſima quæque difficilia & rara; heroes, hominum præſtantiſſimi, ſunt rari, quia præſtantiſſimi. Ita decimeſtres fœtus rari, quia præſtantiſſimi & conſtant circuitibus perfectiſſimis, nempe ſeptem dierum quadragenariis, quatuor decadibus hebdomadum, quatuor tempeſtatibus & anno affecto, ſimilique ſucco vigente naſcuntur. Tanta quippe virtus in humoris homogenei dominio deprehenditur, vt aſcarides autumno generatas, parte diei autumno analoga, veſpere ſcilicet, mouere & inſtaurare ſoleat ea virtus propter humoris melancholici dominatum. Sic animalcula in igne & niue producta vigent in iiſdem, ex his remota languent & emoriuntur illico; tanta eſt vis materiæ, quâ ſingula conſtant. Propterea mirum non eſt, ſi qualitatibus homogeneis & alibilium ſuccorum dominatu redeuntibus, puellus breui multum proficiat inſtauratus illorum familiaritate, & vtraque natura duce fit ſufficiens exitui ſibi comparando. *In anno nunc viget æſtas, nunc ver &c. in homine nunc viget ſanguis nunc bilis*: atque ideo recurrente vere vel æſtate vigent in grauidis bilis & ſanguis. Quare fœtus, qui ſuccis illis vigentibus coaluerunt, florere debent in vtero propter qualitates amicas redeuntes, ac dominium ſucci quo potiſſimum conſtant & alibilis humoris homogenei vbertatem. Ex aduerſo vero ſeptimeſtribus contrariæ qualitates occurrunt, & ſucci plane diſſimiles illis quibus conſtant.

Li. de natura pueri f. 38. v. 5. & ſeq.

Sect. 1. l. 2. Epid. f. 311 v. 25. cap. 19. l. 5. de hiſt.

Lib. de nat. hum f. 15. v. 45.

Secunda ratio. Homo præcellenti forma conſtitutus, partes omnes corporis eleganter exornatas, & in eodem ſitu quo partes vniuerſi poſitas habet, nec-non exquiſite diſtinctas ſtructura & temperaturis. Iſtæ vero ratione quatuor humorum, quaternario quoque numero continentur, ſingulæ ſuccis analogis & qualitatibus analogarum tempeſtatum perficiendæ. Licet enim partes omnes ſimul conformentur, ſuis quoque temperamentis diſtinctæ, ſingulæ tamen propriis tempeſtatibus & humoribus homophylis ſigillatim abſoluuntur, tota vero compages tempeſtatis huius recurſu, cuius influxu primum conſtitit. Etenim quia *maxime diſſimilia maxime conferunt* perficiendo cuiuis operi, vt animali nobiliſſimo neceſſariæ ſunt partes ſtructurâ valde diſſimiles &

Libro 1 de diæta f. 85. v. 23.

temperamento pugnantissimæ. Illæ vero perfici nequeunt vllatenus absque succis sibi dissimillimis, quos inducit ea cœlorum conuersio quę diuiditur in partes summa contrarietate præditas; hæc autem conuersio est annus. Animalia vitæ breuioris, quorum facultates, vt organa confusa sunt, aut minus exquisitè distincta, perficiuntur circuitibus ignobilissimis, quales sunt dies & mensis. Quamvis enim *mensibus & diebus insint eadem vires proportione*, quam seruant inter se & annum, cuius partes compendio confusiori continent; illæ tamen efficiendi virtute tantum cedunt annuæ reuolutioni, quantum tempestates integræ singulis mensibus & diebus antecellunt. Nec immerito cum mensium dierumque circuitus sint annuæ conuersionis partes. Luna siquidem refusione luminis à sole mutuati, æstatem & hyemem suis quadris æmulatur, verum confusè & ignobili quadam ratione, quæ propterea congruentior est animalium deteriorum vitæ dirigendæ. Vt vitæ breuioris & minus accuratè distinctis animalibus, quantitate & qualitate mensura respondeat; nec propriâ deficiatur animal ephemerum, quod mane nascitur, meridie viget alatum quadrupes, volat ad occasum solis, senio marcescens eius recessu moriturum. Nullius viuentis duratio die minor, quia nullus circuitus die minor quatuor primordiorum vires continet.

L. de sept. partu f. 46 v. 4.

cap. 19 l. 5. de hist. anim.

Mensis autem non est particeps egregiæ dotis quæ toti cuiuis eximio competit, & quam docuit Hippocrates inesse singulis humani corporis partibus, quarum minima iisdem constat & eadem continet, quæ maxima pars, totumve corpus. Quia vnica Lunæ conuersio diurna non continet vires integræ Lunæ, nec profert varias illius configurationes, vt dies solaris, vires continet anni totius, etsi longioris. Quare Lunaris circuitus præcipua deficitur perfecti totius & mensuræ conditione, huiusque quotidiani circuitus mixta minimæ durationis mensurare nequeunt, quia quatuor primordiorum vires non continent. Adde Lunaris motus quotidiani tarditatem, non enim perficitur eodem tempore quo solaris, etsi propter centri viciniam longè minorem circulum describat. Itaque Lunæ circuitus hominis dignitati consonus non est, nec illius vitę circuitum dirigere & emetiri potest. Ipsa quippe bruta dierum circuitu qui solaris est perficiuntur, non solis Lunæ quadris. Hippocrates passim distinguit grauiditatis tempus & mensem, quia mensis non est puelli tempus; sed annus affectus, quadragenaij, tempestates & dies, qui non mensurantur mensibus. At è contra dies mensurant mensem, solisque conuersionis duratio Lunæ conuersionis mensura est. Verum quia loquendum vt plures, Hippocrates tritas à numero mensium denominationes passim vsurpat, fere tamen illico subiicit solis circuitus, vt propriam partus men-

Initio lib. de locis in hom. f. 63. v. 45.

Vt Aristotelis experietiâ notatum supra.

ſuram. Solis enim circuitus metitur omnes grauiditatis opportunitates, quia præcipua eſt cuiuſque generationis & interitus cauſa. Luna non eſt cauſa criſeon nec partuũ, quia partus, vt morbi diebus eorũque circuitibus iudicantur; at luna non dirigit dies, nec eorũ circuitus, ſed vnus Sol: quia dies eſt quotidiana cõuerſio ſolis ad eũdẽ horiſõtẽ. Vnde Hippoctates lib. de alimẽto, varios partuũ limites diſtinguit per ſoles, id eſt per quotidianas ſolis cõuerſiones. Ibique nouimeſtres puellos prorſus omiſit, vt & l. de princip. quia nulla plane conſtant proportione critica.

L. de ſept. partu. part. vlt. l. de natura hum. Tertia ratio. Partus & morbi iudicantur iiſdem circuitibus: verũ morbi qui minime iudicantur dierum circuitu, neque ſeptimo menſe qui contingit initio tertiæ tempeſtatis, quę prorſus contraria eſt illi cuius malitiâ inducti fuerunt, neceſſe eſt ipſorum ſolutionem differri ad annuam reuolutionem & quartę tempeſtatis initium. Ac proinde neceſſe eſt partum, qui tertię tempeſtatis initium ſeptimumque menſem exceſſerit, differri ad annuam reuolutionem & quartę tempeſtatis initium, iſtud autem contingit menſe decimo. Quare partus, qui tertiæ tempeſtatis initium ſeptimumque menſem excedit, perfectiſſima proportione conſtare non poteſt ante menſem decimum.

Sect. 3. li. 2. Epid. 4. Exacerbationes fiunt in circuitibus, id eſt in ipſa commutatione temporis à qua pendet commutatio qualitatum, & nouus humorum dominatus ac generatio. Ab iſtis autem fit alteratio & perturbatio critica, indeque morborum ſolutio & partus: hic enim criſis quædam eſt non puelli modo, ſed & puerperiorum. Verum menſis octauus eſt remotiſſimus à commutatione tempeſtatis: nonus autem quamquam proximus in ipſa commutatione non eſt, quia nondum viget niſi decimi menſis initio: proindeque partus & morborum ſolutiones octauo nonoque menſibus impulſu naturę & criticè non fiunt, ſed tantum decimi menſis initio. Aph. 1. l. 3. L. de ſept. partu f. 45 v. 44. Tempeſtatum mutationes morbos pariunt & ſoluunt, ideoque promouent & iudicant partus; quia conceptiones & partus eodem tempore quo morbi iudicantur.

5. Primum & perfectiſſimum cuiuſlibet generis reliquorum menſura cenſeri debet, partus autem Chriſti Dom humanorum partuum primus & perfectiſſimus eſt, eumque decimeſtrem fuiſſe demonſtrauimus. Tractatu de tempore infuſ. Animæ. Quare decimeſtris partus eſt primus ac perfectiſſimus & aliorum menſura cenſeri debet.

Lib. 2 de diæta f. 88 v. 27. 6. Humido calor alitur, extinguitur humidiſſimis, vt à contrariis: at *humidiſſima ſunt quæ proxima generationi*. Quare vitę flammula generationis noſtrę primordiis tunc humidiſſimis intercepta facillime extinguitur, quandiu prima partium ſtamina nondum conſtiterunt. Ex illis enim rudimentis, vt ab ellychnio, calor allicit alimentum, domicilium perficit & auſpiciis animę ſenſim adauctus ordine functiones exercet.

exercet. Ac primo quidem paucas & ignobiles obit imbecilliter, quia *facultates mucis obtunduntur*; paulatim tamen effulgens emicat, vt nono mense quam octauo; decimo autem, quam nono sit intensior. Siquidem *causa perfectionis in vbertate caloris innati posita, quia calor est princeps naturæ organum; ideoque perfectius est opus in quo calor est intensior, & imperfectius in quo deficit*. At nouem mensium puellis calor est imbecillus, decimestribus vero vehementior; quare decimestres fœtus sunt perfectiores decimestribus. Quæ proxima generationi siue conceptioni dicuntur esse calidissima, non actuali calore, sed substantia & remotissima potestate, quæ reuocari nequit in actum, nisi circuitibus perfectissimis & diuturna solis actione. Ita lignorum viridium combustibilis humor, sepultus aquea frigiditate, vix flammæ pabulū subministrat. Nascentium calor imbecillimus meretur potius nomen remissi frigoris, quam veræ caliditatis; quippe quæ tot humiditatibus est obruta, vt verè dictum sit ab Aristotele, calorem in iuuenibus nondum esse perfectum. Quia perfectio sita est in operatione, quæ proximis ortui vix est vlla, quia neque caloris vllus vigor.

L. de septim. partu f. 46. v. 33.

Gal l. 14. de vsu partium.

Cap. 2. l. 4 de generat. anim.

7. Vt species sensim perficiuntur, conglobatis inter diuidendum genus differentijs; ita composita naturalia, succrescentibus in dies nouis perfectionum momentis, vltimam naturæ suæ perfectionem tandem assequuntur. Fœtus hoc ordine perficitur, qui si decimestris erumpat in lucem, non deficietur vltima perfectione, quæ ratio quædam est, quam risus attestatur mox natis decimestribus familiaris, non alijs: perfectissimus nulla parte vacat, nec vlla partium functione.

L. de septim. partu f. 46. v. 30.

8 Perfectissima generis alicuius species, facta diuisione per omnia differentiarum iuga, constat nobilissimis omnibus generis illius differentijs, & earum connexione constituitur; species ignobilissima deterrimarum collectione coalescit. Sic hominem constituunt omnes animalis differentiæ perfectissimæ; insecta componunt oppositæ; mediæ perfectionis animalia constant imperfectarum differentiarum varia mixtione cum perfectis. Quia vero quouis in genere perfectum semper est imperfecti regula, quatenus ab eius præstantia recedit, hominem constituentes differentiæ, oppositarum quæ cætera componunt animalia, mensuræ sunt; ipseque homo omnium prorsus animalium est amussis. Quæ tamen occurrunt huiusce sortis differentiæ, vt simul cohærere possint, quales plurimæ sunt eæque præstantissimæ, homo earum omnium simul particeps efficitur. Quæque varijs generibus seorsim distributæ sunt, eædem coalescunt vt hominem numeris omnibus absoluant, modo singula membra diuisionis aliquid egregium contineant. Ac in illis tantum differentiis, homo cum generibus omnibus animalium communicat & ambigit. Id in variis partuum circuitibus

E

Lib. 4. de gener. animalium cap. 4.

fœtuumque numero licet deprehendere; homo enim vnus ex omnibus animalibus, peculiaris naturæ conditione potest vnicum gerere, multos & paucos, id est geminos: unde etiam varia pariendi tempora solus obtinuit. Animalia siquidem quæ gerunt vnicum perfectos fœtus edũt, propter materiæ alibilis vbertatem, ac vteri totiusque abdominis robur & amplitudinem; id est propter alendi gerendique facilitatem.

Cap. 6. l. 4. de gen. animal.

Quæ multa gerunt præuertunt opportunitatem perfecti partus, propter angustiam locorum succique alibilis penuriam. Fœtus vero fiunt imperfecti quod ante legitimum summæ perfectionis tempus in lucem prodeant, cuius rei certam probationem sumere licet è septimestribus, quorum quidam nascuntur, ne quidem meatus habentes accuratè distinctos. Homo itaque, quatenus perfectissimæ naturæ fœcunditate potest multos fœtus alere & gerere, septimestres parit: quatenus paucos, nouimestres in lucem profert: quatenus vero gerit vnicum, decimestres & vndecimestres edit. At quæ pariunt vnicum, perfectiores fœtus edunt quam quæ geminos aut multos; ideoque decimestres & vndecimestres sunt aliis fœtibus perfectiores.

9. Opera quæ prodeunt à præstantissimis causis naturalibus, ea quoque perfectiora sunt. At homo propter magnitudinem corporis, & innati caloris vim gerit vnicum; propter copiam seminis & corporis humiditatem, satietatis & otij sobolem multos edit. Copia vero seminis & corporis humiditas sunt ignobiliora proceritate corporis, & caloris innati robore. Quapropter homo quatenus vnum gerit, eumque decimestrem, perfectiores fœtus generat, quam quatenus multos edit. In animalium genere, quę plura gerunt exiliora sunt, imperfectiora, vitæ breuioris & frigidiora, indeque copiosiori semine turgentia. Quantum enim coctionis perfectioni detrahitur; tantum adjicitur copiæ seminis & alibilis excrementi, quo fœtus augeri solet; suntque geminæ causæ fœturæ multiplicis.

Cap. 4. l. 4. de gener. anim.

Rationibus accedit communis quidam consensus facultatis Medicę Parisiensis. Illius enim lumen splendidissimum Magister Claudius Seguyn, Primarius Reginæ Christianissimæ Medicus, eamdem conclusionem publico programmate defendit. Eam vero confirmauit, ex eo quod animalia quæ longiori tempore perficiuntur & aluntur in vtero præstantiora & viuaciora sunt. Secundo quia fœtus qui cito maturescunt, sunt vitæ breuioris & pręcocis sapientiæ; proindeque fœtus quorum partus & maturitas ad extremum terminum producitur, longæui quoque sunt & prudentes, siquidem vitæ partes omnes proportione sibi consentiunt. Ideoque quorum maturitas & partus occasio producitur, totum quoque vitæ circuitum produci decet. Tertio quia fœtus qui compinguntur ex humoribus vberrimorum lucidissimorumq; spirituum genitoribus, & qui tardè longisque circuitibus mouentur, ipsi

quoquè tardè commouentur; ideoque serius in lucem prodeunt. Quia grauiditates & morbi quorum signa serius elucent, serius quoque terminantur. At humor melancholicus vberrimos lucidissimosque spiritus generat, & tardè longisque circuitibus mouetur. Ideoque fœtus qui coaluerunt ex concretione humoris melancholici, tardè quoque commouentur, & vix nisi quarto mense; proindeque serius in lucem prodeunt, puta mense decimo. Nactique temperiem naturalem prudentissimi sunt, ac sapientissimi; longèque cæteris excellunt heroïcarum virtutum præstantiâ. Hisce dotibus eximiis ornatum videmus Ludouicum XIIII Regem Christianissimum, qui conceptus autumno, scilicet altero die mensis Decembris, renunciantibus Medicis Regiis, conformatus est concretione sanguinis melancholici, tardè commotus est, decimoque mense natus, scilicet anno Domini 1638. quinto die Septembris. Ideoque decem circiter diebus & nouem mensibus solaribus à die quo satus est, expectatissimus & fortunatissimus decimum mensem perfectissimum partus humani terminum comprobat, & Heroum natalem.

Aph. 12. sect. 1.

Insuper homo nullis pariendi limitibus addici debet, vt enim cum generibus omnibus animalium communicat in fœtuum numero, sic & in pariendi temporis latitudine. Siquidem consueta partus opportunitas, à semianno ad septem quadragenarios, est centum dierum; nec insolens est planè Medicisque destituta rationibus ad annum exactum producta gestatio. Etenim si fœtus imbecillioris inuersio non fiat mense septimo, sed tantum septimo dierum quadragenario, puellus ægrotabit, vt solet, per quadraginta dies, qui conficiunt octauum quadragenarium. Nascique non poterit incolumis nisi nono quadragenario exacto, quia virium refectioni debetur æquale tempus aut maius ægritudine, nonus autem quadragenarius ferè producitur ad annum exactum. Præterea si fœtus non inuertatur ope tempestatis asymbolæ illi qua creatus & conceptus est, nulla maiori vel simili contrarietate deinceps percelli potest, vt inuertatur; ideoque illius inuersio differri debet ad quartam tempestatem, qua summa similitudo viget. Nam motus omnis efficitur à similibus aut à contrariis, itaut quæ moueri nequeunt à summa contrarietate, necesse sit ea moueri à summa similitudine. Maximè cum localis omnis motus, qualis est inuersio fœtus in vtero, similitudinis ope congruentius efficiatur & à contrariis alteratio. Quamquam consueta septimo mense fœtus inuersio prodeat à tempestate, quæ prædita est gemina qualitate opposita & à contrariorum dominio, quia temperamentum & vires, à quibus hęc inuersio, sitæ sunt in eorum mixtione. Naturalis omnis motus localis à similibus extra mobile trahentibus, adiutis alterius expulsione, perficitur; aut à contrariis in ipso mobili contemperatis: violentus à pellentibus constitutis extra mo-

bile. Quare puellus cuius inuersio differtur ad initium quartæ tempestatis, nasci nequit ante reuolutionem anni exacti, propter ægritudinis quadraginta dierum necessitatem.

De causis vniuersalibus generationis, puta Sole, Luna & lumine.

SVMMVS opifex naturæ vices assiduo voluit ope tempestatum quas solis omnium moderatoris, aliorumque syderum motus efficiunt. *Sol enim*, velut emancipatus ab illo parente summo filius, non modo superioribus omnibus influit, sed etiam *res omnes inferiores regit, perficit & impellit ad actiones, tempestatum nullus est alius auctor, nec animalium generationis, aut prouocationis ad coitum, fructuumque plantarum maturationis. Etsi quippe Lunæ magna sint opera, solaribus tamen posteriora sunt; quod enim menses dirigat & illud habet à sole, silentis enim nulla vis esse deprehenditur.* Ipseque Lunæ rubor existentis in vmbra terræ prodit à radiis solis lateraliter agentibus in Eclipsi: quapropter apud Hippocratem plenilunia sola spectabilia sunt. Itaque propterea quod in omni serie recta ratione constituta primum designari debet, quod secundum cæteraque impellat; *Luna fit efficiendi principium participatione luminis à sole cuius auspiciis operatur*, itaut nulla vi polleat eius influxu destituta.

Gal. c. 1. l.3. de diebus decre.

Lib. 4. de gener. animalium cap. vlt.

Quare Luna perficiendis generationibus, maturationibus & augmentis est vtilis veluti parabolicum quoddam speculum, quo lumen solis reflectitur. Sic enim sol actionis assiduitate, noctes atque dies opera sua multo magis promouet, quam dum repetitis vicibus, propter reciprocum luminis & tenebrarum dominium, vix quidquam plane perficit. Præterea Luna videtur humores & materiam corporum moderari, humores enim in pleniluniis adaugentur in omnibus maioris & minoris mundi partibus. Vnde tunc deterius habent humidiores naturæ, tunc quoque maximè fiunt muliebrium vacuationes, humorum decubitus & crises omnes, insultus epileptici, deliria, putredines, ac medullæ, cerebri & pinguedinis incrementa. Hæc autem contingunt, quia pleniluniorum lumen modica caliditate liquat, dissoluit, nec quidquam par est resoluere, generare. Ideoque Luna multum officeret, nisi sol præcellente generandi facultate putredinem præuertens, ex huiusmodi materia partes adaugeret; & nondum factas compingeret. Hac ratione dentes incipiunt in alueolis coalescere, dum vi septimi grauiditatis plenilunii materia turget, eique superuenit secundæ tempestatis in tertiam commutatio. Tunc enim natiuus calor intenditur, & occasionem nactus materiæ præsentis vltimo corpus exornat, ipsosque

dentes firmat in alueolis, ut nihil deſit ad vitæ prorogationem & integritatem corporis. Ideo fœtus tum primum completus & corpore perfectus eſt, nec deinceps pariter eget opera Lunæ, ſed ſolis influxu firmatur & inſito calore fit diues. L. de ſept. partu f.46 v. 8.

Itaque plenilunia ſolaris influxus aſſiduitati ſubſeruiunt, & materiæ præparandæ, quam ſol radiis directis & propriis illuſtrat, & exornat caloris ætherei ſplendore. Eapropter fœtus in ergaſtulis vteri, ſeptem plenilvniis & ope commutationis in tertiam tempeſtatem perficitur, & corpulentus deprehenditur; ipſe tamen adeo debilis eſt, vt vitalis illius calor ad cerebrum vix extendatur, omneſque facultates mox elangueant. Vnde qui tunc naſcuntur ne vocem quidem poſſunt edere, vix vbera ſugunt, vix ſentiunt irritati. Si vero vel minimum poſt ſeptimum plenilunium ſubſiſtant, ſcilicet ad ſeptem menſes exactos, qui conſtant tribus ſeptimanarum denariis, illi iam multo melius habent, & ſeptimeſtres planè perfecti naſcuntur. Quia ſol viuentium parens hominem perficit diebus dierumque ternariis & ſeptenariis, quorum vires coniunctæ ac ſuperadditæ commutationi ſecundæ tempeſtatis in tertiam, & ſeptem lunis, facultates roborant inſiti caloris incremento. Hinc licet colligere Lunam corpori, corporiſque materiæ, ſolem vero præeſſe facultatibus, quas proprio tempore conſtitutas deinceps erigit ad obeūdas functiones. Vt enim planetarum, quos impellit ad officia, medius eſt, ſic in hominis ventre medio vicarium ſibi finxit, nempe cor vnicum caloris inſiti fontem. Sol quippe cordi vehementiſſimum robur inurit, vt humorum conceptaculis Lunæ anologis; cęteriſque partibus influat agitatione perpetua, qua ſingularum facultates ad proprium munus excitat. Calor enim præcipua temperamenti qualitas, omnium functionum eſt auctor. L. de ſept. part. f. 46. v. 8.

Solem vero caloris vberrimum fontem eſſe, ideoque viuentium omnium generationis opificem probare facile eſt, nam lumen eſt merus calor à ſole, vel ab igne diffuſus in corpore pellucido. Lumen enim directis radiis exceptum manifeſte calefacit, & iidem radii citiſſimè comburunt ardente ſpeculo collecti. Præterea calidiſſima quæque fulgent & lumen emittunt; nec id igni proprium, lapides enim & ferrum pelluciditate omnique læuitate deſtituti, tamen igniti ſplendent. Quare lumen ab Ariſtotele definitur *quidam pellucidi color ab igne aut cœlo, quibus ineſt eadem vis effectrix actu diaphani.* Tum rurſus *ignis in corpore pellucido præſentia per ſuam virtutem*, ignis autem virtus eſt calor. Idem Ariſtoteles docet quædam eſſe colorata ſecundum accidens & alieno colore, alia vero per ſe; quod eſt per ſe coloratum, eſt quoque calidum per ſe, & pollet inſito calore; at omnium maximè quę ſplendidiori colore prædita, ideoque affinitatem habent cum lumine. Hinc ea facile diffundunt

ſpecies & ſui ſimilitudinem communicant illuminato medio, quia ſimilitudo quędam penes calorem iuvat ſpecierum propagationem, quam contrarietas & tenebræ impediunt. Verum calor & lumen excipiuntur tantum ſecundum accidens in corpore pellucido, quia pellucidum corpus eſt ſimplex & minimè determinatum; ideoque non eſt viſibile per ſe, & alieno colore coloratur; contraria quippe ſuſcipere poteſt, nempe tenebras & lumen, candorem & nigredinem. Quare mirum non eſt, ſi lumen quod eſt cœleſtis virtus exiſtens in corpore pellucido ſecundum accidens, plerumque tandem excipiatur in eo per ſe, dum corpus indefinitum terminatur in æquiuoca generatione animalium, & vi luminis, id eſt intercepti caloris, ex corpore ſimplici fit aliis permixtum & viuens.

Tex. 70.

Nox atra colorem ſimul & calorem rebus aufert abſentiâ luminis; vnde terra dicitur inuiſibilis extitiſſe priuſquã lux fieret, quia verus color eſt à calore qui cum luce eſt idem. Vbi enim Dei ſpiritus, caloris & lucis auctor, aquis incubuit, omnia creata ſunt illico; fœcũditas à calore. Ad hæc lumen & calor ſubiectis planè conſentiunt, nam lumen eſt actus pellucidi minimè terminati, ideoque fluidi & humidi; calor autem ſolis humidis fouetur. Eapropter oculus aqueus eſſe debuit, vt afficeretur à lumine quod eſt calor: nam calor aquæ contrarius eſt, actio vero quæuis opportunè ſuſcipitur in contrarium. Præterea vtrumque ſimul propagatur radiis rectis & lateralibus, niſi medii pelluciditas intercipiatur, quo in caſu ſimul quoque reflectuntur; licet aliqui caloris gradus opacum corpus aliquando penetrent. Itaque diſtinctio caloris & luminis non prodit ex eorum diuerſitate, ſed ex eo quod variis ſenſibus, variis quoque mediis & organis operantibus objiciantur. Hinc enim modi quo percipiuntur, temporis & ſpecierum varietas emergit, indeque rei diſſimilitudinis opinio. Sic pleraque ſunt eadem, quæ prima fronte diſſimillima videntur, aut creduntur eadem quæ ſummoperè diſſident. Rerum ſimilitudines & diſſimilitudines imponunt, quas aſſequi ſapientiæ eſt apex.

Gen. c. 1.

Verum dicet aliquis calor vehemens abſque lumine plerumque deprehenditur: at id contingit igne remoto, vel in corpore non pellucido, inæquali, & opaco, procul ab igne cuius eſt lumen. Tunc enim corpus illud, quia terminatum, ſuo modo recipit, & in eo fit intenſio caloris atque terminatio, non diffuſio nec ad oculum propagatio, propter inæqualitatem quæ confundit luminis radios ſpecierum rectà deferendarum propagatores. Nec opponendum frigus contrarium fore lumini & illuſtrationem moraturum, quia contraria ſimul conſiſtunt, modo ſint in remiſſo gradu, nec ad octo gradus peruenerint. Siquidem materia poteſt excipere octo qualitatis gradus, ſiue ſint vnius tantum quali-

tatis, siue contrariarum simul, ita ut quantum detrahitur vnius, tantum contrarię possit adjici, quia *remissio fit semper admixtione contrarij*. At L. 5. Phys. aër noster nunquam octo, ne septem quidem frigoris gradus admittit, quia tanta esset eorum vehementia, vt omnia viuentia breui extingueret. Quapropter semper superest subiecti capacitas ad vnum alterumve gradum caloris, ideoque ad excipiendam momentaneam solis illustrationem.

Hinc quoque demonstrare licet cur hyemalia plenilunia frigidiora videantur interluniis. Id enim non prodit à lumine, sed ab humore dominante, qui manifesta vi tempestatis est phlegmaticus, ideoque frigidissimus eorum qui sunt in corpore. Proindeque mirum non est si sensum frigiditatis inurat, maximè dum facultate plenilunij per sensibilia corporis diffunditur. Præterea plenilunium luminis ope serenitatem aliquando inducit, ideoque siccitatem, quæ lima est frigoris vt caloris: vnde plenilunia quandoque reuera frigidiora sunt aliis Lunæ quadris. Itaque Luna non pollet insita calefaciendi neque refrigerandi virtute, verum calefacit ope vicini solis æstate, hyeme refrigerat ex accidenti eiusdem à nobis recessu: semper autem remisso calore concreta liquans & diffundens, humoris excessum parit ad qualitates actiuas ancipitem. Quacumque vero tempestate plenilunia pollere quibusdam calefaciendi viribus patet ex piscibus, quorum calor imbecillus excitatur, ita vt Arist. c. 5. l. 8 de hist. erumpant è latibulis in pleniluniis hyemalibus edendi causâ, alioquin Cap. 23 l. iacent inertes. Vespę similiter in pleniluniis manifestum sumunt incre- 5. de hist. mentum: sic erinacei marini sunt pinguiores in pleniluniis, quia no- Cap. 5. l. cturno tepore gaudent. Præterea dubitare non licet de pleniluniorum 4. de part. calore, quia Lunæ radij ardente speculo collecti sensibilem calorem pariunt, hyeme quamquam rigidissima. Porro lumen tactu plerumque Arist. l. 9. non percipitur, quia sensus est obiecti mensura, sensibilia enim sensu Metaph. dignoscuntur. Sensus autem tactus tactilium mediocritate constituitur, & illius sensatio passio quædam est; ideoque prodit ab efficaciori tactili. Quare tactus mediocria vel potius intensa percipit, non minima; sicut pes vlnâ mensurari non potest, nec exquisitè cognosci, sed vlna pede.

Propterea Medici non dissentiunt à Philosophis, dum quatuor tantum qualitatis gradus assignant & quartum vocant intensissimum. Quia diuidunt habito respectu mediocritatis humani tactus organi, veluti mensuræ. Proindeque Medici spectant solas qualitatis exuperantias, quia passio non fit à simili nec à remissiori qualitate, sed ab exuperante. At octo graduum mediocritatis exuperantia est quatuor, quorum primus sensorio quodammodo similis vix sentitur; alter sentitur, non lædit; tertius sentitur & lædit; quartus autem non modo sentitur

& lædit, sed & sensorium corrumpit. Diuisione vero facta totius entitatis, primus caloris gradus, alter & tertius tactum latent, quia remissiores; quartus sensorio similis non afficit; quintus autem Medicorum primus est qui vix perceptibilis. Quapropter consuetum lumen tactu non sentitur, quia fit diffusione caloris admodum tenuis, & qui multo remissior est calore tactus organi; licet efficiendi facultate sit summus, propter opificis cuius auspiciis operatur assiduum influxum. Nam calor æthereus ille quocumque diffunditur & permeat, propter excellentem sublunaria mouendi vim cœlestibus concessam, ne frigore concreta corrumperentur. Ita cor, animalium sol insitus, aura tenuissima nec sensibili corporis vniuersi partibus elargitur viuificum lumen & calorem. L. de vsu humid. f. 313. v. 15. Illius enim irradiatione vel momentanea frigidissimæ partes (quales sunt pudendæ) vehementer incalescunt & immutantur, eâdem vero destitutæ marmore frigidiores mox euadunt.

Exercitatio de circulatione.

MATERIA prima cuiusuis actus expers longissimè dissidet à Deo, qui potentię cuiusuis prorsus immunis. Ea partes habet extra partes beneficio quantitatis, quę materiæ modus: proindeque proprio subiecto minimè nobilior est. Figura quæ nascitur ex illius extremorum concursu, quantitate deterior haberi potest. Attamen in specie figurarum simplicissima, quæ circularis, intueri licet diuinitatis & infinitatis vestigia; Quasi Deus non intima modo, sed & extremitates corporum diuinitate perfundi voluerit, vt in minimis etiam totus eluceret sensibus ipsis manifestissimus, & in omnibus à se conditis deprehenderetur. Mobile vacat contrario cuius motui penes locum nullus est contrarius; ideo circulationi & circulo nihil est contrarium, quia contraria concordi & essentiali societate connexa cohærent in circulo. Lib 1. de cœlo c. 4. Id autem potest esse perpetuum cui nihil aduersatur, estque maximè vnum ac indiuisibile; circulo vero nihil addi, nihil detrahi potest, ipsius extra ipsum nihil est. Quare circulus est vnus indiuisibilis & maxime perfectus solusque inter corporea perpetuitate frui potest.

Præterea sibi ipsi quam simillimus est, & habet vbique principium, medium & finem, quibus vt superius assignatis dotibus numen æmulatur. Accommodatissimus est functionibus omnibus obeundis, motus enim corporum quædam vita est, quæque figura nobiliori constant, figurâ pollere decet mobilissima. Hæc autem est orbicularis, quam Democritus, ea ratione ductus, suis atomis inexistĕrem voluit animæ substantiam constituere. Ab eadem pendet ars mirabilis mechanica, quippe

quippe cuius ope minima vis maximam superat, minimaque pondera vastissimas moles in sublime vibrant. Insuper ea res cui nihil deest, & cuius nihil est extra manet immobilis; vniuerso vero nihil ad integritatem deest, ipsiusque nihil est extra quia non esset vniuersum; quare vniuersum manet immobile. Extra ipsum nullus est vere locus vlla qualitate congruenti prę̨ditus, nec eget imaginario quia in eo est; non est itaque cur in alium locum transmigret. Quamquam mouetur in proprio loco per partes, quia corpora cœlestia lumine & motu variis in locis vtilia sunt ad inferiorum productionem qui finis est externus. Ideo cœlum non impellitur ab interno proprioque principio, sed ab externo; quia semper est in proprio fine, nec eget vlla recenti qualitate, quantitate nec loco. Quare cœlum summa corporum perfectione fruitur orbicularis figuræ beneficio, siue materiæ, siue formæ dotes inspicias.

Aristoteles igni naturalius esse credidit agitari circulatione cœlesti abreptum, quamquam quodammodo violentâ, quam nullomodo moueri. Quia calor, omnia per omnia mouere natus, assidui motus in omnibus rebus & in ipso corde causa est, vt motus assiduitas caloris. Motus enim calore producitur & motu calor; ab immobilitate vero frigus & stupor emergunt, vt immobilitas à frigore. Propterea calor institutus est princeps naturæ organum, quia causæ mobilissimæ debetur organum mobilissimum; corporum quippe natura mobilitate consistit, eâ perficitur & inest omnibus vt perfectissima proprietas. At omnium motuum primus & perfectissimus est localis, qui *pollens virtute cuiusdam vitæ magis inest rebus quæ perfectioris naturæ conditiones assumpserunt*. Ideo natura membris omnibus animalium mouendis ex arbitrio præfecit musculos, qui sunt arbitrarij motus organa, quibus exercent innumeras functionum ideas, in quarum integritate singulorum perfectio consistit. Li 8 physic. textu 1. & 58.

Animæ deambulatio, siue spirituum perennis agitatio sanitatem absolute constituit & perficit, spiritus enim non modo mouentur indesinenter, sed etiam mouendi facultatem partibus omnibus incutiunt. Ita perenni motu cient humores in venis & arteriis contentos, nam spiritus sunt vera alimenti vehicula; non materialia quod consistentiæ fluiditate diluant humores vt serum; sed actiua quia succos omnes liquefaciunt, eosque pellunt à corde per arterias, vt à partibus alliciuntur. At vbi partes externæ satiatæ sunt, iidem succi propter ambientis frigiditatem recrudescentes in habitu corporis astrorum facultati analogo, eorumdem spirituum beneficio per venas denuo regeruntur ad humidorum cauitates lunæ qualitatibus præditas, hepatis humore blando diluendi. Hincque liquandi rursus mandantur Vulcani caminis, id est cordi quod medium corporis humani circuitum constituit, Lib. 1. de diæta f. 84 vers. 15. & seq.

& calorem vehementissimum continet omnium functionum moderatorem & opificem. Cor enim non regit solam nutritionem, sed animalitatem quoque moderatur, quæ viget in externo circuitu corporis, vbi sensus omnes excubant.

Lib. 1. de diæta f. 85 v. 12. Ita spiritibus & sanguine per tres illos nostri corporis circuitus agitatis, assiduo fit illud Hippocraticum de fabris, quia pars vna trahit quod altera expellit, eademque pars excludit quod attraxerat auida; sic ambæ viribus contrariis opus idem moliuntur. Ita sanguis in habitu recrudescens allicitur ad interiora recreaturus humore blando calidissimum viscus, moxque æstuans refunditur ad partes frigidissimas excitaturus eas alioquin ad munia torpentes. Ita sanguis assidua circulatione vindicatur à putredine & crudore, partiumque temperamentis & functionibus dissimillimis vtilissimus est, nunc insigniter incalescens, nunc è contra refrigeratus. Etenim si vices illæ reciprocæ venis aut arteriis interceptis non vigeant, functiones omnes absque mora corruere deprehendimus, & membrum stupere. Hic est confluxus vnus & conspiratio, quæ circulatione sanguinis æmula cordis assiduo vibrati, tuetur animal incolume, quandiu non impeditur meatuum vitio, vel plethora ad vires non opprimitur. Lib. de alim. f. 100. ver. 46. & seq. Quia sanguis & spiritus ab externa superficie rapiuntur ad intima corporis & magnum principium, vt ab intimis magnoque principio rursus ad externas partes effunduntur. Siquidem circulatio motuum penes locum perfectissimus est; & sola, tanquam plane necessaria proprietas quę semper adesse debet, essentiam corporum valde perficit, & actionum perennitate fouet.

Ideo res omnes circulationem consectantur, eamque natura perpetuitatis amans, singulis operibus inseuit. Quamquam res omnes illam similiter consequi non valent; nam quæ non possunt exquisita circulatione commoueri cœlestium more, hæc eorum dependentia & æmulatione propter assiduitatem recursus ad principium à quo fit exordium motus, in orbem moueri debent. Textu penultimo li. 1. de ortu. Enimuero *si quid assidua circulatione agitatum res aliquas indesinenter impellit, eas in orbem volui necesse est. Sic assidua circulatione commoto primo mobili sol eodem motu rapitur, & ab eo tempestates in orbem prodeunt quia recurrunt; indeque res omnes à tempestatibus in orbem fiunt eadem circulatione.* Quare mirum non est sanguinis massam, morborum causas & morbos omnes agitatos & inductos à cœlesti circulatione cieri circulariter & periodice, maxime cum moueatur in circulis. Lib. laud. 1. de diæta fol. 84. v. 25 Nam corpus hominis distribuitur in tres regiones, & circuitus, scilicet in exteriorē & superiorē, qui neruosus & frigidissimus est; in inferiorē qui venosus & humidissimus; in mediū denique qui calidissimus est. Initio li. de locis in hom. & de Dicuntur autem vere circuitus, quia fine carent vt initio; nec possunt vllibi assignari neruorum, venarum & arteriarum finis aut initium;

sed vbique similiter habent initium & finem. Anastomosibus enim crebris, alioquin inutilibus, aptatę sunt & in orbem effictæ, quibus humores assiduo fluunt & refluunt.

ossiũ nat. F 61. v. 10. & f. 63. v 24.

Quamquam quatuor humores in corpore humano simul perpetuo conseruentur, attamen eorum singuli constitutionis ambientis ope vicissim propria tempestate vigent ac recurrunt & à contraria minuuntur, siue spectentur quatenus affecti dominantibus in aëre qualitatibus, sive quatenus hominis naturam mixtione & vegetatione constituunt. Etenim circulari singulorum dominio & vicissitudine, vegetatio conseruatur; quia contraria se se mutuo fouent & sibi inuicem sunt alimētum. Quare sanitatum, morborum, symptomatum & causarum morbificarum reditus est circularis; nec non insitorum motuum, atque animi conceptuum, *non enim credendum semel aut bis tantum cogitationes in hominum mentes incidere, sed easdem vicibus innumeris reuolui.* Quia tempestates omnium productiuę recurrunt, & secundum naturam recidiuę sunt, vt præter naturam recidiuę dicuntur. *Ætates corporum dotibus & colore sunt similes tempestatibus*, quia ver cum sanguine quotannis recurrit & hominibus instaurat iuventutem cum viuido colore. Idemque ver plantarum ramos ac vires vberius renouat, & earum iuventutem plane restituit. Sic humores qui sunt materia partium corporis, ipsaque hominis natura quæ sita est in eorum contemperatis viribus & vitæ functiones omnes promit, sequuntur vniuersi motum. Atque ideo res omnes hominum pendent à tempestatibus & earum circulatione.

Expositio difficillimi cōtextus ex l. de natura hum.

Cap 3. l. 1. Meteorũ.

L. de hũ. f. 116. v. 41 & eodē loci f. 117. v. 26.

Lib. de lōgitudi. & breuitate vitæ.

L. de aëre locis & aquis.

Facultates circulariter operantur, nec vmquam extra actiuitatis orbem, quia sitæ sunt in calore qui prodit ab orbe cœlesti; & insident corporis partibus in orbem conformatis; quia facultas auctrix eas in orbem fingit, vt opera propria facultates omnes. Etenim natura seminis astrorum facultate prædita, est ipsemet calor qui cunctis animalibus insitus ab orbe cœlesti, circulatione producitur ac producit spiritus & humores in orbe corporis, eosque mouet vt mouetur assidua circulatione, postquam *singula membra corporis in orbem finxit vniuersi dependentia.* Siquidem nisi cœlestis ille calor causæ principis influxu firmaretur, & recessu solis desinens instauraretur eiusdem recursu, tantillum semen numquam posset attingere viuacis & valentis animalis productionem, parentibus ipsis valetudine vel senio plerumque confectis. Totum cum parte concurrere decet ad actiones, quia pars non est absolute sui, sed totius; at omnia viuentia sunt vniuersi partes, atque ideo decet vniuersum concurrere cum singulis ad obeundas functiones.

Lib. 1. de diæta f. 84 v. 18.

Quod efficacissimum maximeque vnum cæteris omnibus est causa distinctionis & vnitatis; at cœlum est corpus simplicissimum & maxime vnum, motuque perfectissimo cietur & simplicissimo continuitate

temporis & immutabilitate loci, quia nulla deprehenditur in eo remissio, nec intensio multiplicitatis asseclæ. Quare sublunarium motus inæquales & incerti reuocandi sunt ad cœlestes, qui soli constantes & assidui. Cœlum quoque summa pollet efficiendi virtute, vt enim quod mouetur ad cẽtrum, vergit ad minimum; quia centrum nec est pars nec habet partes, vnde vectis infirmior est quo propior hypomochlio siue centro. Sic ex aduerso quod mouetur ad circumferentiam tendit ad actum & perfectionem; quare maiori vecte maioribusque rotis acta longe facilius & celerius agitantur. Atque ideo corpora cœlestia sunt efficaciora & velociora, quo maiora & remotiora sunt à centro; quia necesse est excellẽtiam facultatum respondere magnitudinis immensitati. Cæterum vegetandi virtutem ex vno sole profluere constat, ex eo quod omnes plantæ nouis frondibus in ambobus æquinoctiis induuntur; itaut aliquę bis floreant & fructum gerant, licet in autumnali minus, propter exhaustas ab æquinoctio vernali succos. Tum quoque naturalis facultas maxime viget in animalibus, & omnes illius morbi se produnt in lucem feliciusque curari possunt. Quia sol in æquinoctiis est remotissimus à polis, ideoque citissime cietur, & æquali tempore maximum circuitum percurrit.

L. de nat. hum. f. 15. v. 57. *Nullum naturale corpus constare posset vllo tempore nisi quatuor elementa consisterent, quia si deficeret vnum cætera breui dissoluerentur.* Quare si defectu partis vnius materialis omnia corruunt, quid expectandum ex priuatione principis opificis, nempe solis, cum materiæ necessitas opificis dignitate longe sit posterior. Hominis vt animalis ephemeri vita pendet à sole, sed obscurius, vt enim circuitus ephemeri vitæ vnius est diei tantum; sic & hominum singulorum vitæ circuitus est definitus. Quamquam non est idem singulis, quia non est eadem vis omnibus, nec idẽ principiorum generationis robur. *Sol è medio tollatur, nullum superesse poterit animal neque viuens.* Insuper opifex dispositionum generationis est quoque generationis ipsius auctor, quia quod intendit media per se, cẽseri debet ad finem conspirare. Verum sol est opifex omnis alterationis quæ est progressus & necessaria dispositio generationis; ideoque sol est opifex omnium rerum generationis, ac proinde conceptionis & partus. Opifex autem naturalis ortus & interitus, est etiam causa sanitatis & morbi, ortus enim sanitate conseruatur & perficitur. Ipsiusque sanitatis habitus est generati conseruatio, vel continuatio quædam generationis. Quare sol est causa dispositionum quæ sanitatem perficiunt, ipsarumque criseon vt partuum, quia crisis est motus ad sanitatem & prorogationem vitæ. Itaque sol vnus est opifex omnium generationum & criseon, in quibus idem dies plerumque bis numeratur, quia idem circuli terminus vel pars eadem, est finis & initium circuli duorumque vicem gerit.

Galen. Commẽt. ad l. de na. hum. f. 16 v. 9.

F. 4. tract. nostri de crisibus.

Omnes ergo generationes & corruptiones à sole pendent & circulo fieri dicuntur, quia fiunt à circulatione solis, quam recursus assiduitate æmulantur. Sic aquæ commutationis in aërem interdiu, & rursus aëris in aquā noctu circuitus assiduus est solaris æmulus, *quem cogitare decet vt fluvium sursum & deorsum refluentem. Dumque veteres insinuabant Oceanum, forte subintelligebant hunc fluvium fluentem circulo circa terram.* Id obseruare licet in annua conuersione solis vt in diurna, quia sol æstate terras exurens, omnia vertit in fumos & vapores, qui contineri non possent hæmisphęrio nostro; nisi frigus antarcticæ regionis assiduo cogeret in pluuiam vapores illos & ventos ad se transmissos, indeque nouos alliceret; qui tracti motu vacui, pelluntur ab hæmisphærii nostri plenitudine & calore. Viceque versa recessu solis in antarcticam regionem fatigamur assiduitate pluviarum & nivium, quia sol indesinenter impellit vapores & ventos australes ad hæmisphęrium nostrum, quod hyemali frigore cogit eos in pluuiam; vnde qualitates hyemi familiares sunt frigus & humiditas. Ita terræ partes omnes quadam vicissitudine nunc aquis obrutæ deprehenduntur, aut arent squalidæ: nunc ab hominibus excoluntur, nec ab iisdem semper quia nunc secedunt, nunc easdem terras denuo repetunt.

Cap. 10. l. 2. de ortu tex. 59. & 62.
Cap. 9. l. 1. Meteor.
Integro c. vltimo l. 1. Met.

Hac ratione *motus omnes hominumque negotia circulo fieri dicuntur, quia fiunt temporis circuitu, tempus enim videtur esse quidam circulus, ex eo quod solarem circulationem metitur, vt ab eadem circulatione mensuratur & dignoscitur.* Hominis vitæ iucunditas pendet à reciproca & circulari vicissitudine necessitatis obeundarum vel intermittendarum functionum, quarum nulli assiduo incumbere, nec vlla facile carere potest. Finis immobilis obiecti pręsentia, sensum mouet; phantasia quæ motus ab actuali sensatione definitur, impellit appetitum, qui ratione duce, vel saltem conscia, motiuæ facultatis beneficio fertur in finem, cuius consecutione quiescit vbi fuerat exordium motus. Denique Deus est omnium finis & initium, quia res omnes effudit ex immensa plenitudine, quas rursus in homine conglobatas mirabilis hypostaseos vnione reuocauit, circulus autem absoluitur principii cum fine connexione, vel vnitate; quare series omnium rerum fit circulo, quia perficitur ad idem propriumque principium recursu. Similiter omnia naturalia recurrunt ad eosdem carceres, & ad idem principium reuolui solent à quo prodeunt; ortu à non ente profluxa, relabuntur in non ens interitu.

Textu penultimo l. 4 Phys.
Cap. 2. l. 1. de cœlo.

Quæcumque deprehenduntur inter finem cuius gratia, & opificem qui molitur aliquod opus constituta, ea differunt inuicem quod alia sint opera, alia vero sint organa. Quæ proxima sunt opifici proprie vocantur organa, quia sunt operatiua, quatenus influxum causæ principis excipiunt, eumque transf-

Cap. 3. l. 2. Physic. textu 29.

mittunt in materiam. Quæ vero fini proxima sunt, ea materiæ qualitates & naturam redolent, licet aliquando sint opera. Sic omnia quæ constituunt hominem, puta partes, humores & elementa, ipsumque corpus & anima media sunt ad hominis compositionem, velut ad finem. Quamquam finis proprie non est opus, omnesque fines qui fiunt non sunt proprie fines, quia mouent & mouentur; finis autem verus mouere debet immobilis. Quare licet homo sit omnium rerum finis, ipse tamen est propter Deum qui finis vltimus, solusque non est opus, & omnia perficit à nullo perficitur. Sic enim Deus est hominis omniumque rerum finis vltimus, vt opifex; cætera sunt media & opera vel organa, quibus à Deo profluentes ad eumdem refluimus, vt entium series circularis & integra sit, quia circulo nihil addi nec detrahi potest; integrum vero, totum & perfectum dicitur, cuius nihil est extra, cuique nec addere nec detrahere licet. Media sunt aptabilia propter finem qui bonitatis eorum quæ sunt ad finem mensura est. At homo est vniuersæ naturæ finis & scopus, quia *res omnes illius ergo conditæ sunt*, vnde etiam nouissimus à Deo creatus est. Quapropter homo est mensura bonitatis, quam res omnes ab eo mutuantur, vt ipsæ conspirant ad illius productionem & conseruationem. Omnium quippe virtutes in hominem confluunt, vt in centrum, non indiuisibile quidem quod est expers omnium, sed vt in centrum quod omnes elegantissima compagine, quamquam minutissimâ conglobatas inuoluit.

Textu 62. & 63. l. 3. Phys.

Textu 24. l. 2 Phys.

Lib. 1. de diæta f 34 v. 18.

Eximia quæ de igne tradit Hippocrates potiori iure dicenda de Deo, qui vnus est exemplar & typus ad cuius modum res omnes ipse finxit sibi persimiles, & effusas ex immensa plenitudine constituit. Quia Deus se præstat omnia in omnibus, vt omnia diuinitate constent; vereque dici debeat cuiusuis rei totum, quia finis & principium est, ad quod facta circulatione tandem relabimur. Quapropter homo dici debet imitatio Dei potius quam vniuersi, vel vtriusque simul; Etenim Deus vniuersitati rerum præest, hominis anima microcosmo, quasi Deus alter, aut immersa corpori diuinitas, quare si corpus illud moderemur ad vniuersi rationem, nunquam aberrabimus.

Simili modo quæuis in re sua diuinitas est quæ mouet immobilis, & propter quam motus omnis instituitur. Ita corporum substantia, à qua & propter quam motus est inter solas qualitates à substantia remotissimas, manet immobilis. Etenim substantia non suscipit magis & minus, neque qualitates ab ea dependentes immediatè; quæ vero parum distant à substantia raro mutantur. At remotissimæ non modo remittuntur, sed & aliquando prorsus euanescunt. Ita maxima mutabilitas, quæ deprehenditur in qualitatibus à substantia remotissimis, respondet in vniuerso creberrimæ sublunarium generationi & corruptioni. Nam primum mobile, quia proxime abest ab immobili motore, cietur vnico motu eoque simplicissimo, planetæ

pluribus potissimumque Luna. Sublunaria vero mutationibus innumeris agitantur, quia plurimum distant à primo principio motus. Hac ratione mutationum in vniuerso, & qualitatum quouis in supposito series profluit ab vnico principio immobili, eximio dependentiæ nexu. Quod *minimum continet omnes dotes quas maximum continet*, at in entium serie Deus est omnium maximum, ab eo sol & alia cœlestia; sublunaria vero minima sunt, ideoque sublunarium singula Dei perfectiones referunt, & insita quadam diuinitate pollent. Sic *omnes Dij*, propriis vnicuique numini dotibus in vnum congestis, eleganti concentu, singulorum *naturas exornarunt*.

Initio lib. de locis in hom. f. 63 v. 44.

Lib. 1. de diæta f 84. v. 38.

In Coacas 6. 7. 8. & 14 C. 11. L. 2.

NATVRA crisim per excretionem semper molitur, at vbi materia multa est eaque contumax, angusti meatus aut fractæ vites, tunc ipsa morborum solutionem facit per abscessus. At nisi abscessus polleant expetitis conditionibus omnibus, hi plane frustranei sunt, & ægrum diris cruciatibus sensim conficiunt, quem morbi vehementia benignior mox obruisset. Propterea nullus abscessus in hepatis parenchymate bonis ægrotum rebus vnquam fieri potest. Quia hepar naturæ morborum medicatricis domicilium est, cui nullæ sunt extrinsecus suppetiæ. Nam si parotides cæterique abscessus, qui nascuntur è suppurato iecoris, calamitosi sunt; etsi fiant illius impulsu in membris ignobilibus & procul à principio. Quid boni speres dum facultas excretrix in proprio fonte superatur, nobilissimi visceris corruptelâ. Quare vix vnus æger ex multis superest, idque dum ea est naturæ vis & materiæ phlegmonem committentis paucitas ac benignitas, vt amandari possit in anteriorem hepatis superficiem, quæ musculis abdominis & nothis costis contigua est. Hæc enim pars hepatis vna & minima tentari potest abscessu salutari, si tumoris angusto collecti spatio acumen illi viam referet exterius impulsu naturæ vehementi. Nam qui partes alias hepatis afficiunt illi perniciosè pus effundunt intus. Præterea substantia visceris immunis esse debet ab erosione puris obiectâ membranâ, quæ per initia vi caloris ex materia mitiori & pituitosa sensim producitur. Quia pus intra membranam iecoris tenuissimam contineri non potest, vt in aliis abdominis regionibus, nec potest pus in ipsa visceris carne salutariter diffundi. Istę salutaris abscessus in hepate conditiones vix vnquam contingunt, omniumque minime membrana. Et eapropter Hippocrates distinctione facta suppuratorum ventris inferioris absolute pronuntiat, *suppurata regionis vmbilicalis & hypogastrica membranâ continentur, hypochondriaca vero in ipsis visceribus diffusa sunt*. Hæc enim pene semper fiunt à bile, quæ generationi membranarum inepta. Itaque quamquam Duretus hunc locum mutauerit

Coaca 14. cap. 11. l. 2.

Coaca 8. eiusdem c.

Coacis 6. & sept.

Aph. 45. l. 7. fretus auctoritate Aphorismi, nihilominus tamen vtriusque sententiæ veritas sensu proposito reuera constat.

Expositio quarumdam Coacarum prognoseon ex Lib. 2. Coaca tertia capitis primi de Cephalalgia.

QVI dolore capitis laborantes, Catoche corripiuntur & delirant propter alui suppresionem; illi ferociter volvunt oculos cum faciei rubore saturato, ac tandem fiunt opistotonici.

Melancholicus & attrabilarius humor inferre solent conuulsiones, quia siccitate & acrimonia neruis aduersantur. Maxime vero posteriores offendunt & inducunt opistotonum, quia nerui posteriores sunt licciores anterioribus, ideoque facilius læduntur ab humore sicco. Attrabilarius autem succus huius opistotoni opifex esse deprehenditur ex oculorum feroci motu, & faciei rubore saturato. Idem quoque succus dolorem capitis & catochem cum delirio committit, quia bilis omnis deiectione vacuari nata est. Quare sanguis hac illuuie minime repurgatus, vt moris est, incalescit & inquinatur; ac mutata velificatione mox excurrit ad superas partes & ad caput, cuius actiones omnes deprauat. Nam si legitimus sanguis iusto copiosior in partes irrumpens earum functiones offendit, quia *quamcumqae in partem alimentum vberius influxerit in ea morbum parit.* Quid sperandum si sanguis pessimæ conditionis, appulsu vehementi magnaque copia, caput inuadat vniuersum? Nihil aliud sane, nisi quod appulsu vehementi vellicabit ac distendet illius membranas, & acerbissimum dolorem concitabit. Copiâ, siccitate & crassitie corporis membra rigiditate quadam tensa continebit in eodem statu in quo corripitur æger, propter affectionem neruorum principii. Alieno denique calore & acrimonia principes actiones, idiopathica delitatione deprauabit, quia perfundit vniuersam cerebri substantiam ac immutat illius temperiem quæ principum functionum causa est.

Aph. 17. sect. 2.

Porro quidam Catoche correpti minimè desipiunt, vt Galeni condiscipulus propter affectionem solius neruorum principii. Alii desipiunt, propter humoris morbifici propagationem ad partes quæ principes actiones edunt. Insuper nulla crisis ad salutem expectari debet in hoc affectu, quia supponitur aluum contumaciter intercipi. Hæmorrhagia non excludit humorem crassum, qualis esse solet qui catochem committit. Parotides denique non sufficiunt exoluendis tot tantisque symptomatis, quia capitis partes & regiones omnes tenentur humoris malignissimi dominio. At æger huiusmodi, tribus his tantum modis ab imminenti pernicie liberari potest. Tres Coacæ subsequentes positæ sunt ad calcem Libelli nostri de Virginum morbis.

Commen. in par. 56. sect. 2. l. 1. Prorrhet.